







=d. Arbeiten v. Hieron. Donzellini, Jo. Ph. Ingrassia, Caes. Rinci u. Camerarius selbst=

=selt. Sammlung=

From Library of Dr Davidson, Breslau

SYNOPSIS QVORVNDAM BREVIVM SED PERVTILIVM COMMENTARIORVM DE PESTE, AVTORIBVS ALIquot excellentissimis Medicis, quorum nomina post præfationem posita sunt.

EDITA STVDIO

IOACHIMI CAMERARII
Medici Norimbergensis.



Vsus multa docet, sed pia vota juvant.

ANNO.
CIϽ IϽ LXXXIII.

AD AMPLISSIMUM ET PRAESTANTISSIMUM SENATUM INCLYTAE Reipub. Norimbergensis, Dominos suos observandissimos.

ALEXANDER TRALLIANUS, Medicus inter Græcos post Hippocratē & Galenum celebris admodum & peritus, libro 1. refert Damocratem quendam, juvenem Atheniensem morbo Epileptico correptum, cum multa & varia medicamentorum genera contra hunc a Medicis & aliis, oblata atq; commendata ipsi fuissent, incertum quænam ex magna ista remediorum caterva ei potiss. profutura, eligeret, Delphos ad oraculum (quod eo tempore in max. existimatione erat) se contulisse, ut ibi falsum numen fatidicum Apollinis consuleret, atque ex eo cognosceret, quodnam ex illis maxime efficax in tam difficili morbo abigendo esse posset. Quàm obscurum autem, ut plerunq; fieri consuevit, &

propemodum ridiculum reſponſum inde acceperit, non eſt huius loci recenſere. Quæ ego dum conſidero, ſæpe mihi in mentem venit, quid nobis veritatis cæleſtis cognitionem habentibus in gravibus atq; difficilibus medicationibus, præſertim malignorum & difficilium morborum (in quibus non raro, quamvis copioſa medicamentorum quaſi ſylva ſeſe offerat, ſecundum tamen uſitatum proverbium, in copia neſcio quæ inopia adeſſe ſoleat) faciendum, & quanta aſſiduitate, ſtudio, & ardore verus & æternus DEVS fons & autor omnium bonorũ, a quo, ſecundum S. Iacobum, πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἀπὸ πατρὸς φώτων ἐστί: id eſt, a quo eſt omne munus bonum, & omne donum perfectum deſcendens deſuper a patre luminum; ſemper & ante omnia rogandus ſit, ut ſucceſſum in noſtris actionibus largiri, atque ſalutaria & utilia auxilia, tam in aliis cunctis, quàm inprimis in periculoſis & peſtilentibus morbis curandis nobis ſubjicere atque ſuppeditare velit. Nam in his poſteriori loco commemoratis affectibus, ſecundum Hippocratis noſtri præclaram ſententiam, occaſiones ſunt admodũ præcipites, & facilime e manib. elabentes, judicium autem perquàm difficile, & crebro experientia quoque fallax & incerta eſſe ſolet, unde etiam doctiſſ. Medici his de

cauſsis

causſis & aliis multis ſæpe in max. verſantur difficultatibus, & valde intricata quandoque inveniunt omnia. Quamvis autem peſtilentes morbos inter illos numerandos eſſe ſciamus, qui, ut aliæ eiusmodi ſimiles pœnæ, propter peccata & flagitia hominum, provocantia juſtiſsimam iram DEI, divinitus in humanum genus immittantur, non tamen negandum quoque eſt, eundem DEVM opt. max. pro ſua immenſa bonitate & miſericordia, quæ opplet orbem terrarum, pariter etiam nonnulla præſidia miſeris mortalibus largitum eſſe, per quæ & ſine etiam quibus, pro ut eius divinæ voluntati atque providentiæ viſum fuerit, ſæpe in tantis calamitatibus mali aliquam levationem vel etiam ablationem concedere dignatur. Ideoq; etiã principes & alios qui magiſtratus munere funguntur, paterna cura & ſolicitudine erga ſubditos ſuos tam miſeris temporib. affici vult, & Medicos quoq; doctos & recte aliis conſulentes præbet, qui amantes, patriæ & civium ſuorum ut bene mereri & prodeſſe poſſint quam plurib. nullos non labores atq; moleſtias perferunt, ac pericula manifeſta præſenti animo, (modo in ſuo officio fideliter ac recte exequendo non impediantur) ſubire non detrectant, ac ſalutaribus remediis, quibuscunque poſſunt, præſto eſſe conantur. Quorum omnium pio

admodum & honesto proposito, & conatibus laude dignis, æternum DEUM adesse, eorumque actiones fortunare, nemo est qui dubitet. Tales postea etiam student suis consiliis atque scriptis utiliss. quibuscunque possunt, prodesse, &, ut viros candidos atq; probos decet, sua omnia libenter aliis communicant, ac publice cognoscenda & dijudicanda proponunt; cum non pauci contra sæculi nostri novi Thessali atq; pseudomedici invidi, ambitiosi & avari sua arcana, & sub variis superbis & absurdis nominibus occultata remedia plurimum jactantes, nemini tamen, ac si essent sacra Eleusinia, qui judicium de illis ferre ex vera Methodo posset, revelantes, in caussa sint, ut sæpe ægri decipiantur, & max. injuria afficiantur, pluresq; alii ipsorum exemplo ad quodvis facinus aggrediendum audaciores reddantur. Cum verò omnes norint, quo pacto superioribus annis in multis celeberrimis locis Italiæ pestis lues vehementer grassata fuerit, nihil certe tam a Magistratu quàm Medicis & aliis, omnium eorum quæ humana diligentia atque sagacitate excogitari potuerunt, tunc intentatum aut prætermissum, quo tam sævo malo occurri, & illud, adjuvante divina gratia, tandem depelli penitus posset, dictí apud Comicũ, non immemor;

Nunq̃ ita quisq̃ bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin ætas, usus semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaveris prima, experiundo repudies,

quæcunque postea conquirere aut nancisci potui, quæ vel a præfectis, ut vocant, sanitatis publice constituta in hoc genere atq; proposita, vel ab exercitatiss. Medicis litteris mandata fuerunt, ea universa nullis in ea re parcens laboribus aut sumtibus mihi comparare, sedulo evolvere, & ex quæ illis ad nostros homines, mores, regiones, & alias περιστάσεις recte & cum fructu accommodari possent, breviter annotare studui. Quæ ut quasi in unum corpus congesta elaborarem, & ad editionem adornarem, multi ex amicis postulare non intermiserunt, quibus tamen ut satisfacerem, & eiusmodi quippiam aggrederer mihi ipsi persuadere non potui, existimans tali modo lucubrationes collectas non dissimiles esse negociatorum facultatibus, quæ male partæ, & ab aliis injuste ablatæ, male etiam & celeriter dilabuntur, sin vero propria industria & sine ullius injuria conquisitæ sint, diutius quoque durare consueverunt. Rectius igitur me facturum censui, si ex multis verbosis admodum scriptis nonnulla hoc tempore brevia quidem ὑπομνήματα, sed res utiles non paucas continentia seligerem, at-

que ea quæ ex illis Italice conſcripta fuere, in Latinam linguam converterem, & quædam noſtra etiam adderem, ſperans hunc laborem meum omnibus, quibus hanc operam dare voluimus, gratum atque utilem futurum eſſe. Neque velim tamen hoc meum factum ita accipi, quaſi ideo noſtrorum Medicorum doctiſſimorum ſcripta, quæ equidem plurimi ſemper, ut par eſt, feci & facturus ſum, faſtidiens atque contemnens, externa tantum amplecti atque commendare conſtituerem, ſed potius hoc mihi propoſitum fuiſſe, ut ſtudioſi Medicinæ, & alii, qui forte hæc cognoſcere cuperent, haberent quæ inter ſe non ſine aliquo, ut confido, fructu ad meliorem tam difficilis & intricati morbi inveſtigationem, conferre atque inde utiliora ſeligere poſſent. Cogitaram ſane hanc ob cauſſam doctiſs. cuiusdam & inter Germanos præcipui cuiusdam Medici Synopſin accuratiſs. antea non editā reliquis adjungere, ſed cum certis de cauſſis id hoc tempore fieri non potuerit, daturus operam ſum, ut cum aliis quæſtionibus & obſervationibus non contemnendis aliquando etiam, volente Deo, in lucem prodeat. Eſt autem hæc ſententiarum collatio ad hoc quoque utilis, ut imperitos nonnullos, parvipendentes doctorum virorum de his diſputationes, & commentationes,

nes, ſine ratione & Methodo unis quibusdam remediis tantum innitentes, & absque diſcrimine in omni peſtilenti morbo, loco, temperamento, ſexu & reliquis, quæ cum magna præmeditatione, ut Hippocrates loqui ſolet, examinanda prius eſſent, adhibentes, de ſuo errore admoneat. Qui ſi diligenter conſiderarent, & ſibi ſemper proponerent, quàm eſſet πολυμορφον, ſive varium atque multiplex, κακοηθες καὶ ὀλεθριον, malignum & perniciosum hoc malum, difficultatem rei melius perſpecturi, & depoſita ſua falſa opinione, aliorum quoque ſententias diligentius requiſituri eſſent. In quorum etiam gratiam, quid ſibi hæc tria peſtis epitheta velint, paulo copioſius nunc explicare placuit. Primũ enim, quàm ſit varia & multiformis illius natura, ita multiplicia, diverſa atque etiam ſæpenumero contraria ſymptomata pro ratione venenatæ putredinis, conſtitutione temporis, corporum temperie atque præparatione affligentium, ſatis oſtendunt. Nam interdum homines tantum invadit, interdum vero alterius animantis certam ſpeciem, atque inter homines nunc his, nunc aliis eſt infeſtior. Sic in Veneta prox. peſte aliqui perhibent virgines nubiles præ cæteris periclitatas fuiſſe, ut fere omnes perierint, quod idem quoque annotavit olim Iacobus de partibus

Avicennæ interpres. Sic videmus quosdam ſtatim omnibus facultatibus proſtratis jacere, febre ardentiſs. ſiti intolerabili, anxietate, dolore capitis immenſo, delirio, vigiliis, inappetentia, vomitu, fluxu alui, & aliis pluribus modis extreme torqueri. Alii vero contra prorſus nihil eiusmodi ſentientes, febre exigua, &, ut multi volunt, quandoq; nulla afficiuntur, languor initio adeſt mediocris, ut nec malum præsens agnoſcant, niſi jam totum corpus penetraverit, pulſus non eſt mutatus, urina & cætera exeuntia ſecundum naturam ſe habent, atque omnia alia videntur eſſe mitiora, attamen paulo poſt, etiam aliquando paucarum horarum ſpacio prodit ſe malignitas, & deteriora redduntur omnia, atque mors ſubſequitur. In aliquibus Materia putrida & venenata ſtatim ad exteriora loca corporis expellitur, atque ibidem maculas, puſtulas, tumores, bubones, & carbunculos nunc peiores, nunc ſalubriores excitat, at in aliis horum nihil apparet, & intra corpus, (quod peſsimũ eſt) hæc ἀποσκήμματα retinentur, & in præcipuis viſceribus retenta latitant. Quidam etiam Medici fide dignißimi aſſerunt, non unum vermem, ſed eorum aliquot in cuiusdam febre peſtilente lenticulari (ut vocant aliqui) extincti cerebro fuiſſe repertos, qui tamen an in eius ſubſtantia vel duræ matris

matris ſinuoſis partibus abditi fuerint, nondum eſt explicatum. Poſſent prope infinita huius generis plura quoq; referri, ſed de illis disputandi forſitan alius locus magis idoneus ſeſe offeret. Eſſe ſecundo loco κακοηθὲς, vel ſecundum Galenum in Epidemior. Hipp. explicatione κακοηθέστατον, id eſt, maligniſſimum, peſſimique, ut Medici loquuntur, moris, ex eo eſt manifeſtum, quòd graſſante peſte alii ferme morbi omnes, alioqui etiam εὐηθέστατοι, hoc eſt, ſimpliciſs. & leniſs. huius malignitatem acquirant, & ſolito difficiliores curatu eſſe ſoleant. Idque eo usque etiam ſeſe extendit, ut non ſine admiratione a clariſſimis Medicis Patavinis obſervatum ſit in quidusdam ſauciis tempore peſtilentiæ, ipſa quoque vulnera reddita eſſe maligna, & luis iſtius naturam contraxiſſe. Tertio quàm pernicioſus & lethalis hic ſit morbus omnibus eſt notiſs. & hiſtoriæ plurimæ abunde hoc teſtantur. Vnde Galenus de Theriaca ad piſonem (quamvis de autore eius libri aliqui neſcio quam ob cauſſam dubitare velint) ſævæ atque immani beſtiæ totas urbes & regiones depaſcenti & ad ſolitudinem redigenti comparat, & Athenis iſtius crudelis peſtis, quam Thucydides & Lucretius exquiſitiſſime deſcribunt, tanta fuit pernicies, ut nemo eo tempore repertus fuerit, quem vel morbus, vel

vel mors, vel ſaltem luctus non attigiſſet. Romæ, quo tempore obiit Camillus, uno die decem millia hominum, & poſtea Imperat. Veſpaſiano, & Commodo, quotidie duo millia interiiſſe, Euſebius in Chronicis autor eſt. Vtque recentiora attingamus, quis neſcit, quantas ſtrages ſuperioribus annis in Italia Venetiis, Mediolani, Genuæ atque pluribus aliis in locis, cum in ſingulis jam commemoratis vrbibus ultra centena millia fuerint abſumta, dederit? quàm funeſtam calamitatem vicina nobis Bohemia nuper paſſa ſit? in qua ad trecenta millia hominum periiſſe, multi affirmant. Quo tempore ad nos quoq; & alibi in Germania inde contagia illata, nonnihil homines affligere cœperunt, quæ tamen, Dei ſingulari benignitate, cui perpetuæ a nobis & immortales propterea ſunt gratiæ agendæ, interea dum hæc in manibus habui, rurſus evanuere. Sed de his hactenus, quæ quidem omnia eam ob cauſſam a nobis ſunt expoſita, non quòd peritioribus eſſent ignota, ſed, ut diximus, quo magnitudinem & difficultatem rei melius declararem, & juniores Medicos atque alios ad diligentiſs. illius inquiſitionem redderem attentiores.

Cum vero, AMPLISSIMI ET PRAESTANTISS. VIRI, Domini obſervandiſs. apud quosdam veſtri ordinis Senatorib. pru-

dentia & cognitione multarum rerum ſingulari præditos, quibus etiam a veſtra Ampl. & Præſt. ideo munus publicæ ſalubritatis curandæ temporibus contagioſis eſt demandatum, de hiſce rebus aliquoties eſſet ſermo a me habitus, atque facile ex illis intellexiſſem, meum hoc inſtitutum illis minime diſplicere, immo autores eſſe mihi non dubitaſſent, ut hæc partim converſa ex Italica lingua, partim a me obſervata quaſi in Epitomen redigerem & ad editionem adornarem, dedi operam, ut tandem in unum libellum redacta, typographo imprimenda darentur. Quæ quidem opuſcula, quod ſub veſtræ Ampl. atque Præſt. nomine clariſſimo publice apparere, & hoc pacto aliis commendatiora reddere voluerim, nonnihil cunctantem magnitudo humanitatis veſtræ me rurſum confirmavit, ac mihi perſuaſit, in bonam ſpem venirem, hoc meum factum V. Ampl. atque Præſt. minime contrarium futurum eſſe. Quapropter etiam peto maiorem in modum atque ea qua decet obſervantia, ut V. Ampl. & Præſt. hanc opellam ſtudii mei in opt. partem accipere, & una mecum totum collegium noſtrum Medicum, quemadmodum V. Ampl. atque Præſt. jampridem facere cæpit, ſuo favore proſequi, & contra multorum abuſus atque artis Medicæ ſalutaris atque præclaræ contemtum

auto-

autoritate & patrocinio ſuo illi ſemper adeſſe non gravetur. Filium Dei IESVM CHRISTVM σωτῆρα generis humani & ἀλεξητῆρα noſtrum unicum, ſupplicibus votis oro ut veſtram Ampl. atque Præſt. in gubernatione felici & diuturna ad proſperitatem & incrementum huius inclytæ Reipub. perpetuo incolumem tueri atque conſervare, & omnis generis mala ac præſertim peſtilentis luis clementiſſ. a nobis avertere velit.

V. Ampl. & Præſt.

deditiſſ.

Ioachimus Camerarius
M. D.

CATALOGVS EORVM QVAE IN HOC LIBELLO CONTINENTVR.

Commentarius de peste doctißimus atq; accuratißimus Eximii Medici & Philosophi D. Hieronymi Donzellini Veronensis: conversus ex Italico sermone in Latinum a Joachimo Camerario D. M.

Brevis methodus curandi pestiferum contagium, quod Anno Christi M D LXXV & LXXVI. Panormum metropolim Siciliæ invasit: conversa ab eodem ex Italico libro excellentiß. Protomedici Joannis Philippi Ingraßiæ.

Disputatio de peste Mediolanensi, quæ Anno Christi M D LXXVII. urbem afflixit, doctiß. Medici & Philosophi D. Cæsaris Rincii.

De recta & necessaria ratione præservandi a pestis contagio, tam imminente quàm exoriente loca quælibet, brevis & diligens meditatio Joachimi Camerarii Medici Norimberg.

Constitutiones, leges & edicta quædam, tempore pestis Anno M D Lxxvi a M D Lxxvii. publice Venetiis & alibi proposita, breviter in Latinam linguam conversa, eodem Autore.

De Bolo Armenia & Terra Lemnia observationes eiusdem.

COM-

COMMENTARIVS DE PESTE DOCTISSIMVS ET ACCVRATISS. EXIMII Medici & Philosophi D. Hieronymi Donzellini Veronensis.

PEstis est quædam occulta qualitas, inimica Naturæ humanæ, venenata & perniciosa. Oritur autem ut plurimum a putredine maligna, aut illam producit sibique habet adjunctam. Hæret ea in corpore subtilißimo & spirituoso, tanquam in suo proprio subjecto, quod propterea solet nominari seminarium pestis. Corpora verò omnia, quæ facile suscipiunt & in se continent hoc seminarium, nihilque ab eo patiuntur, ut est lana, linum, pelles, sericum & eiusmodi alia, vocantur fomites pestis. Cumque hoc seminarium propter suam subtilitatem facile diffundatur atq; penetret, affert secum qualitatem quandam malignam: unde sequitur, pestem esse contagiosam, & quia Naturæ admodum adversatur, propterea etiam perniciosam.

Duo igitur sunt propria opera atque signa

quoque pestis, contagium nimirum, & subita atque præceps mortis invasio. Potest autem existere quasi sine febre, ut plurimum tamen conjunguntur atq; eã comitantur pessima symptomata, ut sunt bubones, carbunculi, pustulæ malignæ vulgo petechiæ dictæ, appetitus prostratus, vomitus, sitis, deliquium animi, difficultas spirandi, anxietas, delirium, gravedo & dolor capitis atque adeo universi corporis, pulsus debilis, urina maiore ex parte turbida, cum pluribus aliis horrendis accidentibus, de quibus tanquam ex propria forma et charactere, sicuti homo ex facie, cognosci potest. Accedit præterea ad hæc communis Medicorum veterum & recentium, Græcorum & Latinorum sententia, qui in hoc omnes consentiunt, pestem esse Epidemicum sive popularem & communem morbum, apud istum potiss. populum ubi grassatur. Et hoc quidem quanquam ad essentiam pestis non pertineat, sed potius symptoma sit externum suæ conveniens Naturæ, tamen sequitur ad effectum pestis, qui consistit in ipso contagio, nec minus ad caussam eius, quæ communis est universo populo. Sed posito casu quòd in una aliqua orbis terrarum urbe vel castello quispiam solus esset, & istam malignam atque venenatam qualitatem, quæ vera est pestis essentia, una cum suo charactere in se experiretur, tum certe ex ipsius effectibus & symptomatibus pro-

cul

cul dubio colligi poterit, hanc esse ipsammet pestem, quamvis tum quidem non erit epidemica aut popularis. Attamen verum quoque est, quòd ubi hominum multitudo reperitur, tum celeriter sese propagat, unde dicendum est, popularem sive epidemicam esse, idque vel actu vel potentia.

Diversæ sunt pestis caussæ. Aliquando Deus opt. maximus solus immittit tales calamitates non accedentibus caussis secundis. Talis fuit ista pestis, qua is populum electum percussit, quod David Rex numerasset exercitum contra mandatum divinum. Oritur quoque pestis ex cœlestium corporum, ut vocant, influentiis, quarum caussæ sunt concursus, figuræ & aspectus stellarum diversarum. Idque pariter fit bifariam. Nam vel non mutatur neque corrumpitur ab ista influentia cælesti, aut ipsis elementis Aër, nisi a quadam propria qualitate influentiæ: Aut accidit, quando vel ab influxu particulari vel a lumine mutetur in substantia vel in suis qualitatibus manifestis. Primi generis multa extant exempla, tam apud veteres quàm recentiores. Et observationes plures in medio sunt, quæ ostendunt quam sæviss. extiterint aliquot pestes affligentes universas provincias, quanquam neque in substantia nec in qualitatibus aëris ulla fuerit animadversa manifesta mutatio, ut testantur Astrologi &

Medici approbatissimi. Secundi vero generis plures pestes ab Hippocrate & Galeno sunt commemoratæ, & talis etiam extitit ista, quam describit Homerus primo libro suæ Iliados, ubi, cum Apollinem dicat suis sagittis de cælo pestem immisisse in exercitum Græcorum ad Troiam, nihil aliud voluit innuere, quàm Solem cum suis radiis eiusmodi pestem produxisse, Quæ quidem a multis sola censetur vera esse pestis, & cui proprie hoc nomen competat.

Solet etiam pestis a corruptione Aëris originem ducere, quamvis hæc corruptio ab influxu cælesti non proficiscatur, sed a causis inferioribus proveniat, fitque hæc multipliciter, sed tamen hi omnes modi in hoc conveniunt, quòd emittant vapores fætidos, corruptos & putridos, à quibus aër inficitur & transit in substantiam vel qualitatem venenatam: idque fieri etiam potest ex subita apertione sepulcrorum, in quibus multa cadavera sunt recondita, aut cloacarum vel specuum atque locorum non transpirabilium, itemque ex halitibus & vaporibus lacunarum, locorum palustrium, & aliorum quæ plena sunt cæno & fimo, præterea ex frequentibus cumulis demortuorum hominum, vel aliorum animalium, quemadmodum in magnorum exercituum strage accidere solet, ex locustis denique & aliis rebus, quæ facile corruptioni sunt obnoxiæ, & unde expirant vapores

putridi,

putridi, ex quibus omnibus aër quoque infectus & per inspirationem attractus intra pectus penetrat atq; insinuat sese usq; ad cor, in quo loco dum spiritus, humores & substantia ipsiusmet cordis inficiuntur, celeriter homines moriuntur. Unde observandum, pestem a corruptione aëris, quæ ab inferiorib. caussis proficiscitur, generatam, non semper esse communem alicui urbi universæ aut castello, sed tantum illius uni cuidam parti, quæ propter vitiosum situm, aut quia receptaculum est multarum sordium, aërem ita aptum reddidit corruptioni. Quare istā urbis partem, in qua aër est hac ratione infectus, pestemq; ideo introducit, dicimus hac lue esse correptam: nec propterea pestis nomen amittit, quia nondum est toti urbi communicata. Sufficit enim si est epidemica in eo loco, ubi existit caussa mali, potestque etiam hoc nomine indicari atque popularis vocari respectu universæ urbis, attamen tantum potentia. Nam nisi occurratur illi, et remedia idonea adhibeantur tempestiva atque necessaria, facile deinceps tota urbs illa infici poterit.

Contigit quoque crebro ut in aliqua regione universa, urbe vel castello, propter maximam rerum necessariarum ad victum caritatem homines utantur cibis sua quidem natura bonis, sed postea corruptis, ut sunt legumina & frumenta aliaque similia, aut cogantur vesci

cibis per se vitiosis, herbis scilicet, fructibus, radicibus, fungis & aliis id generis pluribus. Hinc corpora pessimis humorib. repleta propter levem aliquam occasionem, ut aëris nimis calidi aut humidi, putredine afficiuntur & corruptionem qualitatis malignæ acquirunt; cumque caussa sit communis tam interna corporis, utpote corruptio humorum, quàm externa, aëris nimirum intemperies, inde etiam morbi communes oriuntur, qui cum sint venenati, hinc etiam perniciosi existunt, atque eiusmodi proprie sub pestis nomine continentur, atque ex eo etiam græcum proverbium natum est, λοιμὸς μετὰ λιμὸν, *id est, pestis post famem. Tales pestes antea plures apparuerunt, & nostris infelicibus temporibus quoque apparent, cum quasi continua annonæ caritate affligamur, quæ ideo quoque pauperes & plebem egenam potius quàm opulentos & nobiles, qui commode vivere possunt, invadunt.*

Alius est præterea modus generationis pestis, aliaque illius caussa nostris diebus usitatissima, quæ per contagium accidit, fitque ideo quia id ab uno loco ad alterũ defertur: quando homines peste infecti, aut alia apta ad fomitem recipiendum & eundem in se retinendum, seminaria illius ex regione pestilenti ad loca salubria apportant, & ibidem cum sanis conuersantes per contagium illis hoc malum communicant. Hic modus generandi pestem (ut multi perperã existi-

existimarunt) veteribus non fuit incognitus, nam Galenus scribit, eorum qui peste laborant consuetudinem non carere periculo: 1. de diff. febrium, ex sententia Thucydidis, qui ait ex Æthiopia in Græciam λοιμώδη μιάσματα per continentem aërem advenisse. Sed quia hæc pestis origo delata ad locum salubrem, initio paucos invadit, (quamvis paulatim serpendo progrediatur, & si non resistatur, possit ex una quapiam domo sese effundere, atque universam urbem vel saltem maiorē illius partem occupare) fieri solet ut propter paucos peste correptos, & ob curam & vigilantiā Magistratus commercia cum infectis prohibentis, hac ratione contagium impediatur, ideo Medici communiter atque etiam alii non putent vere esse pestem, quandoquidem nondum est epidemica, hoc est, uniuersum populum non invasit. At si id verum est quod initio diximus, de essentia pestis, plane statuere oportet, ubicunque ille characterismus reperiatur, id est, effectus, signa, & accidentia pestis, merito hoc nomen illi esse tribuendum, etsi tantum in uno homine apparerent. Quod vero obiici solent, non esse eo modo epidemicam, respondendum, hoc non pertinere ad essentiam pestis, sed accidens esse consequens ipsius naturam, & quidem separabile, quanquam eiusmodi infectio non diu perseverare queat, quo minus per contagium disseminetur,

modo subjecta huius qualitatis capacia, & idonea ad recipiendam luem offerantur. Constat autem universis, omne id quod incrementum sumere solet, in principio esse debilius & minus efficacis qualitatis, etiamsi natura ipsius sit adhuc integra, progressu vero temporis augetur, statũ atq; profectionem recipiens, & tamen antea quoq; aliquid tale esse solet. Sic etiam pestilens lues, quæ per contagium ab uno loco ad alium delata fuit, paucos quidem initio infestat, nihilominus vis & natura ipsius adest, quamvis nondum sit epidemica, hoc enim non pertinet ad pestis essentiam. Possumus etiam dicere esse Epidemicam, quoniam ex illò loco delata est, ubi cæpit esse epidemica sive popularis, estque quasi illius membrũ: nihilq; obstat, etiamsi ibidem unde advenit non universæ urbi adhuc sit communicata, quia adhuc in principio est, popularis tamen potentia & aptitudine censeri debet, ut quæ paulo post talis esse incipiat, nisi impediatur. At propter singularem prudentiam, curam & diligentiam, qua hodie utitur Magistratus ad remorandum illius progressum, ablegando extra urbem infectos, claudendo domus, prohibendo consuetudinem & commercia hominum, non ita serpit, neq; adeo multos in una multitudine vel urbe corripit, nec ideo ascendere potest ad istum statum, ut vere epidemica nominari queat, sed potius potentia quàm actu

talis

talis esse solet, & nihilominus tamen vera pestis habetur, continens in se Naturam effectus, & signa illius, atq; pro illa censeri ac curari debet. Alioqui per contagium multorum tam vivorum quàm mortuorum peste correptorum adauctum, Aër quoque contaminabitur, inficietur, & corrumpetur, vel saltem seminariis eiusmodi implebitur. Nam aër aptus natus est, ut ex copia & malignitate vaporum exhalantiũ a corporibus infectis ipse quoque in sua substantia corrumpatur. Idq; tandem accidit, quando pestis existit ratione aëris, eamque solam multi tam ex veteribus quàm recentioribus pro vera peste habent, adversus quam remedium nullum tutius atque certius inveniri potest quàm primo quoq; tempore istum aërem infectum relinquere.

7.

Hæc vero cuncta, quæ paulo ante de Natura, caussis, effectis, signis, & accidentibus pestis exposita sunt, ideo sunt in medium allata, ut malo hoc probe cognito & intellecto remedia etiam necessaria posśint applicari, sicuti quoq; omnis ars, cuius finis est actio, non hæret tantum in cognitione, sed ad opera progreditur. Atq; ideo Aristoteles tradit, scientiam de virtute & ipsius differentiis nullius esse utilitatis, nisi secundum illam quoq; omnes actiones in vita instituantur, cum ista cognitio ipsam actionem respiciat: Sic etiam in Arte Medica omnis

cognitio eo dirigenda est, ut recte finem assequamur, qui versatur circa sanitatem hominis. Ne igitur disputatio, supra a nobis proposita, sit inanis atque inutilis, considerandum erit, qua ratione pestis sit curanda, & urbes ac oppida ab illa liberandæ.

Tametsi autem (si vera esse debent quæ antea disseruimus) supervacaneum esse videatur de hac re tractare, quoniam pestis est morbus perniciosus & lethalis: & Hippocrates doceat, morituros Solis prognosticis esse relinquẽdos, tamen facile huic objectioni responderi potest, recte nimirum explicando dictum istud allatum, quod male à nonnullis est intellectum. Nam quando asseritur, pestem esse lethalem, hoc eo modo accipiendum, ut sua quidem Natura homines e medio tollat, nisi industria humana, auxilio artis Medicæ resistat, fiatque adhibitis rite convenientibus remediis curabilis. Absque quo si esset, tam veteres quàm recentiores Græci & Latini autores in conscribenda eius curandi ratione laborassent & summa cum diligentia investigassent auxilia frustra, si morbus fuisset incurabilis. Ac etiamsi jam peste correptorum cura esset inanis, nemo tamen propterea negare debet, ab illa præservandi aliquam rationem posse iniri, qua etiam in parte Medicorum opera & potissim. industria humana occupari debent. Verè autem tam curatio quàm præser-

vatio

vatio concedenda est, nec inutiliter operam suam collocarunt ii, qui de ea scripta sua posteris relinquere studuerunt, ac multo etiam minus qui hodie quoq; de genere humano bene mereri cupientes, secundum illorum præcepta curare pestem conantur. Quantum vero ad Hippocratis sententiam, hoc pacto illa est accipienda, quòd morbi, sua natura lethales, & qui neglecti, homines sane interficerent, Artis tamen ope curari possint, observatis equidem quibusdam conditionibus, ut scilicet morbus secundum suam essentiam non eo usq; sit progressus, ut jam pro desperato habeatur.

Adhæc quando Hippoc. dicit, Naturas ipsas esse in corporibus ægrorum, quæ curent morbos, Medicum vero tantum ministrum, opus est, si Medicus recte inservire debeat Naturæ, ut vires adhuc ita sese habeant in corpore humano, quo illæ possint actiones Medici promovere & adjuvare. Sed si nimis sint debilitatæ, nec amplius idoneæ ut auxilium ab arte suscipiant, tum demum Hippoc. dictum habet locum, Morituros Solis prognosticis esse relinquendos: Contra ubi virtus adhuc constat, tunc Medicum ad agenda quæ sunt necessaria invitat. Hinc itaq; colligitur, pestem quidem esse perniciosam, quæ tamen diligentia Medici cum idoneis remediis sæpe possit curari.

Verumtamen cum pestis sit morbus insidiosus.

osus, & homines invadat priusquam hoc animadvertant, eamque omnes aversentur & plurimum metuant, vulgus etiam vehementer illam timeat, & tamen contra difficulter sibi patiatur persuaderi esse pestem eam, quæ reipsa talis est, neque fugiat aut satis tempestive sibi prospiciat; eam ob caussam declarandum nobis erit, quomodo statim initio, priusquam hæc longius progressa est, recte cognosci, & debitis quasi quibusdam repagulis præcidi tam horrendæ feræ iter queat, ne scilicet sub prætextu alterius morbi nobis imponat, sed re bene cognita illi obviam ire possimus. Quæ quidem consideratio ante omnia proponi oportet propter duas caussas, quarum prima est ordo ipsius Naturæ, altera quod fundamentum sit omnium aliorum, de quibus tractatio instituenda est.

1. Quare si in aliqua urbe aut loco quopiam morbi apparere incipiunt, qui celeriter mortem pluribus inferunt, & multo quidem citius quàm in aliis morbis fieri soleat, observantes an etiam illi qui ipsis inservierunt, aut alioqui cum ægrotis conversati sunt, eodem genere morbi opprimantur. Si tale quippiam acciderit, statim eiusmodi morb. nobis suspectus esse debet, idq; eo magis, si cum illo conjungantur quædam peculiaria symptomata, quæ nunquam fere ab eo abesse solent. 2. Qualia sunt, febris continua, gravedines & dolores capitis, sitis ardentissima, inappetentia

petentia

petentia cibi, nausea, vomitus, alui excrementa fœtida, lingua arida, aspera, pulsus parvus, frequens, debilis, urina, ut plurimum, turbida, delirium & phrenitis, anxietas, inquietudo, deliquium animi, difficilis anhelitus, statim in principio corporis debilitas & movendi difficultas, facies livida & multum de naturali forma mutata, oculi turbidi, rubri, continuæ vigiliæ, & contra nonnunquam sopor gravis. Hæc, inquam, accidentia ut plurimum consequi solent pestem, eaq; vel uniuersa aut plura ex illis. Quod si insuper in locis glandulosis quoque tumores, aut in reliquo corpore carbunculi, aut primis tribus diebus maculæ, quas petechias vocamus, nigræ aut violaceæ exoriantur, nullus amplius locus dubitandi relinquitur, eo tempore vere pestem adesse. Omnis itaq; via & ratio ineunda est, quo modo illi obviam sit eundum, nam quamvis in hoc suo principio non multos adhuc homines invaserit, id tamen paulo post eveniet, nisi statim modis omnibus illi occurratur.

Cum ergo jam hoc malum probe fuerit cognitum, ut diximus, prima cura esse ac præcipua debet, ut prohibeamus illius progressus. Quo in loco plurium rerum sese offert consideratio. Primum, cum hoc malum populum vilem & homines pauperes soleat ut plurimũ invadere, multas quidem ob causas, quas hoc loco explicare non

est

est opus, isti vel propter ignorantiam vel malitiam non facile morbum patefaciunt, sed illum occultant & celant quantum fieri potest, ex quo sequitur, eum non prius cognosci & manifestum reddi, quàm si ferme sit redditus incurabilis. Quare autem ita malum ægroti occultent plures sunt caussæ, præcipuæ tamen tres sese nobis explicandæ offerunt. Vna proficiscitur ex avaritia, metuunt enim ne res ipsorum, quas penes se habent, quamvis sæpe exigui sint momenti, cōburantur. Altera est quòd vereantur ne ab amicis & Medicis deserantur. Tertia quia timent ne ad Nosocomium, quod vulgo Lazarettum vocant, deferantur, ubi magna ex parte homines moriuntur. Nemo igitur qui hisce tribus caußis non bene & integre prospexerit unquam prohibere poterit, ne pestis quantumvis initio debilis non ita crescat augeaturque, quemadmodum fieri sæpenumero videmus. Quantum ad primum, ne ob avaritiam malum tegatur, remedium optimum erit, ut vestes & alia non statim igni tradantur, sed quantum fieri poßit, procuretur ut illa omnia bene & diligenter expurgentur atque emundentur multis modis, qui jam sunt reperti, nimirum cum aqua, aut suffitibus, aut sepeliendo in terram vel arenam, vel diutius aëri liberiori exponendo, vel ulla alia ratione jam excogitata, quæve industria & sagacitate humana in posterum

sterum

ſterum excogitari poterit. Si ad hunc modum hæc conſervari fas erit, procul dubio ſine difficultate malum reddetur manifeſtum, homines enim certi & ſecuri de incolumitate ſuarum rerum ſinē mora in hoc aliis obtemperabunt. Secundæ cauſſæ, timori ſcilicet, ægris certiſs. ſibi perſuadentibus, quòd a Medicis & amicis atq; conſanguineis negligantur, occurri poterit, ſi infirmi relinquantur quidem in urbe, ſed transferantur tamen a domo infecta ad aliam ab iſta lue liberam, & ſubito procuretur, ut veſtes ipſorum, & univerſæ ædes bene purgentur, ac Medici ad hoc munus publice deſtinati ægros inviſant accedentes ſaltem usque ad januam vel portam, omniaque remedia convenientia uſurpent, & ſic non deſerentur ab amicis & cognatis, neque ab ipſis Medicis, qui ad eos accedent, & quotidie de omnibus rebus neceſſariis illis proſpicient. Non eſt præterea dubium, remedia noſtra, de quibus poſtea dicemus, in Lazarettis, ut vocant, non poſſe, ut res ac circumſtantiæ poſtulant, uſurpari aut rite adminiſtrari. Nihilominus tamen cum multi ex iſtis ægrotis ſoli omnino ſint, amicis & cognatis deſtituti, vel alioqui ſibi penitus in iis, quæ neceſſaria ſunt, proſpicere nequeant: multi inſuper reperiantur nimis immorigeri, expertes omni judicio & intelligentia, quive nullis legibus coherceri poſſint, atque veſtes aliaq; ſua jam labe contaminata

minata

minata aliis communicare non intermittunt, propter hos omnes Nosocomia ista vel Lazaretta sunt instituta, atque ad ea erunt ablegandi, non tamen sine discrimine universi, cum illi, qui commode vivere & recte se gerere queant, eo modo, quo diximus, in urbe retineri possint, amandari vero extra illam reliqui, de quibus modo diximus. Tertio, ad terrorem istum quem ægri concipiunt ex eo, quod videant se statim ad Nosocomia esse abducendos, remedium est optimum, habere ibidem ministros idoneos & fidos, malos autem & nebulones severissime punire, itemque Medicos & chirurgos peritos ac prudentes, non autem agyrtas, empyricos, circulatores vel etiam carnificinam in miseros homines Christianos exercentes, (quales tamen sæpenumero esse solent,) in iisdem locis alere & liberaliter sustentare. Præterea illis prospicere de Medicamentis simplicibus & compositis, selectis & legitimis, non adulteratis & in officina jampridem exoletis, postremo procurare, ut Nosocomia semper bene expurgentur & munda serventur: neve ibi diu relinquantur defunctorum corpora, crebroque exportentur sordes & alia immunda: singulis quoque non solum diebus, sed sæpius quotidie fumi excitentur & suffitus penetrantes & validi, cum hac regula dum parentur, ut conclavia bene claudantur, sic enim ad omnia loca pervenire possunt: quibus

bus factis acerrimo aceto locus aspergatur, aëre prius purgato cum fumo granorum juniperi. Quæ quidem aëris purgatio potissimum fieri debet ubi commorantur peste jam correpti, de quorum vita, exigua superest spes. Si enim ista conclavia ita contaminata lue relinquantur, plures alii deinceps eo delati similiter quoque moriuntur, qui alioquin in alio loco non infecto collocati potuissent conservari. Requiritur etiam, ut domus istæ Nosocomiorum sint dispartitæ in quatuor distinctas habitationes. Quarum prima capiat peste jam laborantes, Secunda qui suspecti esse incipiunt, in tertiam transferantur alii qui convalescunt, ut ibi priorem partem ex quadraginta diebus transigant. In quarta denique collocentur qui paulatim ex priore loco abducuntur, ut absolvant integrum tempus istud. 40. dierum, quo perfecte liberati tandem possint in proprias ædes reverti. Instituta hac separatione hominum & locorum, & omnibus recte ordinatis, ac præterea Medicis eo destinatis idoneis, qui de salutaribus remediis omnibus recte prospiciant, restat ut exponamus curationem, & Medicamenta quædam singulari diligentia, arte & observatione longa a doctiss. & exercitatiss. Medicis tam ante hæc tempora, quàm in hac præsenti peste tanquam optima & saluberrima inventa & approbata.

Ratio curandi pestem non desumitur ex

C   *aliis*

aliis fontibus, quàm e quibus alii quoque morbi deducuntur, id est, ex essentia & suis caussis, atque secundum diversitatem caussarum diversa quoque curandi methodus instituitur. Est equidem universalis caussa uniuscuiusque pestis, permissio voluntatis divinæ, & quamvis supra diximus, interdum hanc sine mediis caussarum secundarum existere, nihilominus credendum est quoque alias præcipue a Dei voluntate tanquam fonte & caussa omnium rerum pendere. Vnde etiam primum curationis & præservationis in omni peste remedium potiss. consistit in precibus piis & religiosis ad Deum optimum maximum. Qui propterea sinit hæc mala grassari, ut castigentur peccata hominum, attamen veræ pœnitentiæ & precibus piorum sese præbet exorabilem, & ob seriam hominum conversionem flagellum hoc etiam interdum auferre solet.

Nec profecto Christiani homines ad Deum efficacius medium reperire possunt, nec magis accommodatum ad ea obtinenda quæ petunt, quàm preces continuas profectas ex certa fide & spe firma, quòd Deus sit illas exauditurus: quod ita quidem esse ex pluribus sacrarum literarum historiis manifestiss. fit. Vtque hoc in omnibus nostris rebus adversis & calamitatibus unicum est refugium: sic in peste præcipuum locum obtinet, præsertim in ea quæ Deo permittente

acci-

accidit, & dependet sola ab ipsius voluntate, sine concursu caussarum secundarum vel aliarum superiorum. Quod si quispiam me interrogaret, quomodo talis pestis ab aliis esset distinguenda, sciendum eiusmodi calamitatem ita homines affligere, ut Medici nullam investigare illius caussam in hisce corporibus inferioribus, multo minus Astrologi ullum stellarum, unde generetur, congressum afferre possint, quare merito potest & debet existimari ab ira divina sola hanc plagam esse immissam. Quæ propterea etiam per se placanda est, sine usu ullorum Medicamentorum vel remediorum, quandoquidem nihil in universa Natura, & multo adhuc minus in aliqua arte existat, quæ simpliciter adversus voluntatem Dei aliquid efficere posit.

Contra autem aliam cuiusvis generis pestem primum & universale remedium est relinquere locum infectum, sive hæc sit infectio ab influxu cælesti, seu ab inferioribus caussis, nam hoc modo possumus aërem contaminatum, & contagium hominum peste correptorum vitare, idque non minus quoque ad præservationem pertinet. Quod si res & conditio cuiuspiam forsitan non permittant, ut statim locum aliquis mutet, qui sani sunt tum diligenter attendant omnibus illis quæ pertinent ad præservationem, fugiendo consuetudinem infectorum, vivendo sobrie & temperanter, evacuando humores su-

pervacaneos, mittendo ſanguinem abundantem, exiccando omnibus modis corpus, abſtinendo ab exercitatione nimia, & a laboribus immodicis, hinc enim neceſſe eſt multum attrahi aëris intra corpus, forſitan jam nonnihil infecti: quod ideo quoq; prohibetur, quoniam ſpiritus reſolvuntur, atque omnes vires, indeq; corpus debilitatur, atq; eandem ob cauſſam diligenter quoq; Veneris opera ſunt fugienda. Aër verò odoribus gratis reddatur melior, corpusq; ſervetur purum ac mundum interius & exterius, odorentur continuo pilæ odoratæ, acetum, aqua Roſacea, citria, arantia poma, limones. Præterea utendum quoque Antidotis, ut eſt Theriaca, Mithridatica confectio, Diaſcordium, Bolus Armenia, Terra ſigillata, ſi hæc duo haberi legitima poterunt, Aloe ſimplex, pilulæ Rufi præparatæ cum Ammoniaco. Tenenda in ore ſemina citria aut ipſius cortices. Decoquenda quoque cum aliis ferculis & cibis omnibus aliquid de citrii pomi corticibus. Vinum pariter miſcendum cum aqua cui ſint incocta citria poma, crebro utendum confectione Aromatici Roſati, Diatrionſantalon, Diarhodon, Sacchoro Roſaceo, Diacydonion, Diaperſicon, & ſimilibus conditis, ſemper hoc animis noſtris infigentes, peſtem non ſine omni diſcrimine corpora quævis affligere, ſed tantummodo ea quæ apta ſint, & præparata ad recipiendã eiusmodi infectionem, quodq; talis

lis corporum constitutio posit accurata & prudenti observatione, & jam commemoratis Medicamentis præservantibus, Deo opt. max. adjuvante, depelli.

Eorum vero, qui hoc malo sunt oppreßi, curatio maiorem adhuc diligentiam Medici præsentis requirit, præsertim si febrim una cum peßimis symptomatibus habeat conjunctam, accedentibus insuper carbonibus, bubonibus & aliis maculis venenatis, quibus omnibus non solum Medicus remedia debet opportuna applicare, sed etiam statim & in tempore ea usurpare, alioqui subita mors supervenit, nec conceditur in curando longior mora.

Instituta itaque recta victus ratione, & factis convenientibus evacuationibus humorum & sanguinis, ut res postulat, mißionib. opera danda est a nobis, ut confestim usurpentur Antidoti tam antea indicatæ, quàm aliæ a Medicis ordinatæ. Quanquam verò in peste ab aëre corrupto propter caussas superiores & inferiores orta, atque etiam in illa quæ a malis cibis & humoribus generata est, & Antidoti & evacuationes secundum varios scopos & indicationes curandi à Medicis propositas conveniant, attamen in prima magis Antidoti, & in secunda potius evacuationes sunt idoneæ. In illa vero quæ a loco infecto ad sanum est delata, aëre adhuc persistente puro, satis est fugere contagium

locorum istorum, & diligentissime abstinere a vestibus aliisq; similibus rebus, quibus isti homines uti consuevere, quæ quidem facile seminaria pestis admittunt, & postea tanquam e proprio fomite communicari aliis solent.

Quoniam vero, si eiusmodi contagia diutius in uno aliquo loco perseverent, ad multos longe lateq; spargantur, & plures etiam inde moriantur, facile ex eo sequi potest, ut de corruptis & venenatis exhalationibus corporum peste extinctorum, vel etiam adhuc vivorum sed eadem lue infectorum, itemque de illorum vestibus aliisq; rebus similibus atque etiam excrementis, Aër in se recipiens subinde pestis seminaria, & ipse quoq; tandem inquinetur, aut saltem eiusmodi seminariis repleatur, & ita fit caussa communis istius infectionis. Quare in quocunq; loco observaverimus malum auctum esse, & satis diu durasse, metuendum est ne aër quoq; tandem contaminetur, idq; fiat alterutro modo illorum de quibus jam verba fecimus. Hinc verisimile omnino est, Anno Christi 1576. Venetiis idem plane accidisse, nam tum propter vestes & similes alias res ex Istria apportatas, pestis ita hunc populum invasit, ut paulatim serpendo non quidem propter Magistratus negligentiam, sed malitiam & avaritiam ministrorum, tantam stragem ediderit mortalium, ut ea sine corruptione Aëris contingere nunquam potuis-

potuiſſet. In tali itaque caſu, ſive Aër fuerit inquinatus ac plenus malignis exhalationibus, ſive non, pro ſua prudentia Magiſtratus & Medici ad imitationem Hippocratis, qui paſſim multis ignibus accenſis hoc pacto Athenas conſervavit, & jubens accendi ſylvam quandam maximam in Theſſalia liberavit Græciam a ſæviſſima peſte, curabunt & ipſi tam in ædibus privatim quàm in locis publicis ignes aſſidue accendi ex lignis odoratis & penetrantibus, itemque cum pice, reſina, lacrymis arborum, ut eſt thus & ſimilia, quorum ignium & odorum auxilio Aër tum infectus vel impurus rurſum purgatur & fit melior, & ſi hic adhuc laudabilis & ſalubris ſit, in priore ſtatu conſervatur. Sic Galenus quoq; pluribus declaravit, conſervationem, præſervationem & curationem ex iisdem cauſſis derivari, ſola quantitate mutata in numero, pondere atq; menſura.

Atque hæc quidem ſatis eſſe dicta putamus, de cognitione, & cauſſis peſtis, de præſervatione quoque & curatione in genere, idque breviter ſane & memoriæ ſolùm cauſſa, quæ illis tantum uſui eſſe poterunt, qui rerum Medicarum non ſunt adeo periti, neque libenter Medicorum opera utuntur. Medici autem per ſe hæc omnia ſciunt, & habent plurimos autores Græcos, Latinos, & Arabes, veteres atque recentiores, qui ſingulari diligentia hæc omnia

tractaverunt, quatenus ea ad Medicam artem ſpectant.

Sed quia hæc, quamvis regulas generaliores curandi ægros doceant, nihil tamen proderunt, niſi præcepta iſta univerſalia particularibus accommodentur, cum Medendi methodus non inſiſtat in genere hominis, ſed Socratis vel Calliæ, ſicuti præclare ſcripſit Galenus: ideo nos quoq; univerſalem cognitionem, de qua ſupra locuti ſumus, applicare ad particularia, ad peſtem nempe Venetam, quæ vere hoc nomine eſſe appellandã, comprobant omnino ſingulæ circumſtantiæ, quas antea enumeravimus, diximusq; convenire hanc peſti proprie ſic dictæ, cum ſit contagioſa & celeriter interimat homines. Habet quoq; febrim ſibi adjunctã cum omnibus peſſimis ſymptomatibus, præſertim bubonibus, Carbunculis, & maculis uenenatis, tanquam propriis eius ſignis. Eſtq; etiam præterea popularis, quemadmodum nunc cum publico damno experimur.

Origo vero & cauſſa illius (relinquentes Theologis & Aſtrologis ſuas partes, loquentes verò ut Medici) non naſcitur de exhalationibus pravis elementorum inferiorum, neque a corruptione aëris, exiſtentis toto anno aridi & ſicci, raris ſupervenientibus atque paucis pluviis: præterea hæc æſtas præſens non adeo eſt calida, ventiq; crebro ſpirarunt. Cumq; etiam

per

per dies multos ea, quæ facile alterationem suscipiunt, aëri exposita fuerint, nulla tamen in illis apparuit mutatio. Nec etiam alias hic aër facile corrumpitur, ascendentibus continuis exhalationibus ab aquis, quæ propter suam salsedinem impediunt putrefactionem: & ob continuum etiam motum, quem accipiunt ab aquis, faciunt ut hæc urbs commodiss. possit inhabitari, quod absq; eo neutiquam fieri posset. Non tamen dubitandum quoq; est, hunc ipsum aërem priore esse redditum peiorem, quoniam plures domus propter absentiam multorum, & ob illos qui mortui fuerunt, atq; etiam ad Nosocomia sunt translati, uacuæ derelictæque jacent, unde propter minorem numerum ignium & focorum, quàm antea fuere in singulis ædibus usurpati, aër non ita salubris, quemadmodum superioribus temporibus, nunc existere potest. Certiss. enim est multitudinem ignium inter alias quoq; esse unam et præcipuam caussam salubrioris in hac urbe Aëris. Quod inde quoq; probari potest, quia Aër Murani propter perpetuos nimirum ignes fornacum apud Vitriarios laudabilior esse solet quàm in nostra urbe. Tametsi autem aër nonnihil de sua bonitate amisit, non tamen ideo sequitur plane esse corruptum, idque propter rationes jam antea allatas. Multo minus huius ingentis calamitatis caussa esse potest ciborum, quibus populus usus est,

Venetijs: m Muran:

malignum vitium, nulla præcedente insolita annonæ caritate, neque vulgo deterioribus cibis quàm consuetudo fert, uti consueuerunt: quamvis usu venerit, ut hæc pestis magis afflixerit plebem & pauperes quàm nobiles & alios commodam vitam agentes, quia vulgus in locis subterraneis & insalubribus versetur, & cibis vescatur mali succi, quales sunt herbæ, fructus, radices, legumina, caseus, conchylia, & reliquiis aliis quæ in foro piscatorio & macello alioqui supersunt: & quod adhuc deterius est, panem comedunt factum ex farina male præparata, aut alias non recte coctum, qui pessimum præbet nutrimentum, ac vinum pariter bibant ex cauponis impurum atque adulteratum, vel etiam aquam salsuginosam, si quando propter crebras inundationes & eluviones aquarum illæ cisternæ inquinentur. Hæc igitur mala & depravata ratio victus apud vulgus præparavit corpora pauperum, & aptiora fecit ad hauriendum contagium, accedente insuper incuria, negligentia, & imprudentia istorum hominum mæchanicorum, qui ab isto malo sibi cavere nesciunt, præsertim inter ipsos pueri & fœminæ voraces, ociosæ, & magis quàm viri improvidæ.

Reliquum itaque est, ut statuamus huius horrendæ stragis caussam nullam aliam esse, quàm ipsum contagium, quod ab alio quopiam infecto

fuit

fuit huc allatum, atque ita rem se habere ea quæ contigerunt, & a fide dignis sunt relata, confirmant. Asserunt enim id Tridento primum cum vestibus & aliis similibus reb. ad hæc loca apportatum esse, idemque Mantuæ quoque & Veronæ evenit. Confirmant autem hoc verum esse, symptomata omnia & idem effectus quæ in hac pestilentia & in illa eadem observarunt. Cumque ista non cessaverit grassari, quamdiu homines reperit corpora habentes apta ad suscipiendum contagium, videtur apud nos etiam, nisi divina benignitas hoc flagellum avertat, simili via velle progredi. Quapropter quod in aliis pestilentiis de uno loco in alium delatis evenit, id in hac quoque contigit, ut nimirum principium eius sit debile, semper tamen serpendo ulterius progrediatur in populo, partim ob crebriorem hominum consuetudinem, partim etiam propter imprudentiam, aut etiam avaritiam, quam nonnulli in tractandis vestibus, ac aliis eiusmodi rebus infectis exercent.

Ad hanc vero caussam ortus & progressus huius pestis jam commemoratam, accedit præterea alia, quæ priorem fovet plurimum, & numerum ægrotantium auget, consistens in eo, quòd propter continuam exhalationem corporum peste correptorum & infectorum tam viventium quàm defunctorum, atque etiam vestium eorundem ac similiũ rerum, ut diximus,

aër

aër tandem repleatur seminariis pestis, quæ in eo hinc inde impulsa & vagantia per inspirationem ab hominibus attrahuntur, eaque penetrantia ad cor ipsum, spiritus contaminant & universum corpus. Hinc sequitur febris cum suis accidentibus, bubones, carbunculi & maculæ istæ sive petechiæ, secundum diversam constitutionem & dispositionem corporum. Hæcque est præcipua hoc tempore causa huius mali, atq; ideo subinde aliquot domus extiterunt, & in posterum quoque extabunt, in quibus plane nullum judicium haberi potuit, per contagium hoc malum in illas devenisse, nunquam enim tractarunt habitatores earum res suspectas, nec ullum commercium habuerunt cum infectis.

Contagium igitur initio hanc attulit pestem, sed postea ex multitudine seminariorum crevit atque aucta fuit. Quàm magnas autem vires in se contineant hæc seminaria, & quid valeant efficere quamvis mole exigua & substantiæ subtilißimæ, testari possunt isti, qui viderunt, quo pacto propter exiguum admodum & tenuißimum spiritum in corpus humanum ex morsu viperæ, phalangii, scorpionis, tarantulæ, & aliorum animalium venenatorum, subito & quasi in momento temporis superveniant stupores, totumque corpus reddatur immobile, ac homines ita celeriter extinguantur. Cum verò pestis revera sit venenum, ideo etiam

am qui ea correpti ſunt, veneneſi ſunt, & illorum evaporationes ex univerſo corpore, ſpiritibus et anhelitu inficiuntur tam maligna qualitate, ut facile inde contagium oriri poßit, idque non ſolum fit propter contactum unius corporis ad aliud, ſed etiam ob iſta ſeminaria exeuntia a corporibus infectis, quæ in aëre relicta hinc inde oberrantia & cum inſpiratione intra pectus recepta hunc vel illum hominem morbidum reddunt.

Quantum modò ad curationem & remedia tam horrendi mali attinet, duo capita inprimis hic ſunt conſideranda. Vnum conſiſtit in præſervatione ſanorum, alterum in curatione ægrotorum. Et quemadmodum duæ ſunt cauſſæ, contagium & ſeminaria, opus eſt ut utramq; ſtudeamus auferre, ſi peſtem volumus omnino expellere. De regulis & remediis ad præſervationem pertinentia, ſupra abunde locuti ſumus, eſtque huius ſapientißimi Senatus hac quoque in parte tanta diligentia, ut maior eſſe nequeat, atque ideo de illa copioſius agere neceſſe non eſt.

Circa curationem ſimiliter infectorum, quantum fieri potuit & neceßitas poſtulavit, a Medicis & chirurgis tam ipſi urbi quàm Noſocomiis abunde fuit proſpectum, omnis generis remedia idonea adhibere conantibus.

Vnum tamen hoc eſſe indicandum publicæ

utili-

utilitatis caussa & ob commodum totius civitatis existimavi, cum hæc pestis sit admodum celeris motus, ut spacio bidui aut tridui perficiat suum cursum, neq; concedat tempus secandi venam, evacuandi, cucurbitulas vel sanguisugas applicandi, excitandi vesicatoria & alia similia remedia solita, sicuti sæpe requireretur, & Medici necesse esse existimarent, ideo censeo consultiss. & utilissimum fore, semper habere in promtu Medicamenta nonnulla efficaciss. qualia paulo post indicabo, quæ in ea copia, qualis requireretur in hac urbe, distribuerentur per omnes vicos & officinas pharmacopæorum, reddendo certiorem universum populum per publica edicta, si quispiam deprehenderet sese hoc malo esse oppressum, ut statim sine ulla mora, non expectans tum Medicum, ex pharmacopolio viciniore curaret sibi ista remedia afferri, ac subito illa usurparet tamdiu, donec malum per præsidiorum convenientium usum necessarium extingueretur, aut per sudorem dissiparetur. Multi equidem malum tenent occultum, nec ullis volunt uti remediis, atque quamvis coacti hoc tandem manifestent, id tamen minime faciunt in tempore, sed tum demum quando hoc jam radices egerit, & neque intra urbem neque foris auxilii ullus locus apud ipsos decumbentes sit amplius relictus. At si homines intellexerint, quo in loco remedium statim sit ad

manum

manum, ita fiet ut tempestivius inque principio illud usurpaturi, & facilius valetudinem recuperaturi sint: Sic experientia indies confirmatur, quòd qui statim initio Medicamenta idonea sumserint, hoc illis plurimum profuisse.

Remedia autem, de quibus loquimur, sunt ista.

Primum est OLEVM de scorpionibus compositum, quo statim ungendi pulsus manuum & pedum, cor ipsum, nares & tempora, idque repetendum quater in uno die Naturali.

Secundum est THERIACA Arnoldi de Villa Nova, quam, (ut testantur probatissimi autores) in pestilentiis sævissimis feliciter esse exhibitam compertum est. Ac facile sineque magnis sumtibus parari potest, quandoquidem omnia simplicia ex quibus componitur, ubivis reperiuntur, quod facit ut illam fere alteri Andromacheæ anteponamus. Efficacissima autem est, si illius duæ drachmæ in lecto bene cooperto, ventriculo jejuno, accipiantur, & sudor eliciatur quantum fieri potest.

Tertium est PVLVIS sudoriferus magistralis, ut vocant, cuius plures descriptiones inveniuntur, sumunturque de illo drachmæ duæ in vino albo aut aqua scabiosæ vel acetosæ, & bene quispiam tectus in lecto, quantum potest, sudat, quo facto indusia, ut vocant, &

lintea

ἐυπόριστον.

lintea mutantur, atque etiam, si commoditas adest, ipse lectus, cum sudore enim universum venenum quandoque evaporare solet.

Oleum itaque usurpandum singulis, ut diximus, diebus, ex aliis vero singula ter sumantur, sed alternatim, nunc hoc, nunc vero illud accipiendo quotidie. Oleum istud Scorpionum optime descriptum est ab excellentissimo Matthiolo, in commentariis suis Dioscorideis. At cum ea ratione difficulter paretur, multo facilius vero ut Fallopius in suo commentario de peste proponit, componi queat, illam accipiendam censeo, quo in loco ita scribit: Verũ inter omnia ego magnopere fido oleo, quod describitur ab excellentiss. Petro Andrea Matthiolo, quod oleum de Scorpionibus vocant: quamvis ego libentius utar alio, cuius descriptionem accepi a Reverendiss. Cardinale Ravennate, qui testabatur se habuisse a Leone Pontifice. Descriptio talis est.

℞. Olei antiqui, (si possimus habere, centum annorum, & si hoc destituamur, accipiamus oleum maturum, & coquamus diu in sartagine ferrea vel ænea) libras. v. Terebinthinæ optimæ. ℥ vj. Euphorbii, Castorei. añ. ℥s. Lumbricorum præparat. cum vino malvatico M. S. Misce & pone in vase vitreo, bulliant in balneo Mariæ spacio

octo

octo vel decem horarum, deinde coletur medicamentum per linteum purum neque tenue nec crassum, sine expressione, colaturæ addantur in diebus canicularibus centum & octuaginta scorpiones, & duæ viperæ fœminæ dissectæ in frusta, cum capitibus, caudis, & sanguine. Hæc iterum bulliant, deinde exponatur vas soli, vel appensum vel collocatum in altero vase pleno arena in diebus canicularibus decem, postea addantur huiusmodi pulveres, Zedoariæ flavæ, rad. Tormentill. Gentianæ, Dictamni albi, Aristolochiæ rotundæ, Rhabarb. electi, añ ℥j. Florum Altheæ, Perforatæ, Ebuli, Rorismarini. omnium siccorum. añ. M. S. Theriacæ, Mithridatii. añ ℥j. Misce, & in vase vitreo vel vitreato optime clauso sepeliantur sub fimo equino ad dies 40. aut amplius, vel teneatur in balneo vase obturato tribus diebus continuis, postea coletur & servetur in vase stanneo aut argenteo.

THERIACA ARNOLDI describitur a Guidone in tractatu de Apostematibus cap. V. *ubi de magna & gravi pestilentia agit: dulicando suam dosin.*

℞. Semin. juniperi, Aristolochiæ rotundæ & longæ, Gentianæ, Tormentillæ, Ra-

 dicis

dicis herbæ Tunici (pro qua alii ſumunt Angelicam) Dictamni albi, Radicis Enulæ campanæ. añ. ʒ. v. Caryophillorum, Macis, Nucis Muſcatæ, Zingiberis, Zedoariæ. añ ℥s. Salviæ, Rutæ, Balſamitæ, Menthæ, Pulegii cervini. añ. ʒ. ij. Baccarum Lauri, Doronici, (loco huius duplum Caryophill. quidam accipiunt) Croci, Sem. Acetos. citri, Ocimi: Gumm. Maſtiches, Thuris: Boli armeniæ, Terræ ſigillatæ, Spodii, oſsis de corde Cervi, Raſuræ Eboris, Margaritarum, Fragmentorum Saphyri, Smaragdi, Corall. rub. Ligni Aloes, Santali rubri & citrini. añ. ʒ. j. Conſer: Roſarum, Bugloſſæ, Nenupharinæ, Theriacæ probatæ. an. ℥ ij. panis ſacchari libr. vi. f. Electuarium cum aqua Scabioſæ, & Roſata modice camphorata: Huic deſcriptioni velim adjungi Scordium & Carlinam.

Opt. etiam erit, præſertim in præſervatione ſanorum ab hoc malo, Theriaca Diateſſaron deſcripta a Meſue & aliis celebribus autoribus. Quæ cum facile poßit parari, & non magnos ſumtus requirat, eo melius illis qui ſunt pauperiores atque etiam in Noſocomiis uſui eſſe poterit. Eſt autem deſcriptio eiusmodi.

℞. Gentianæ, Baccarum Lauri, Myrrhæ, Ariſtolochiæ rotundæ. an. partes æquales,

quales, excipe melle despumato specierum quadruplo.

Quod si adderetur bolus armenia vera, dictamnus nostras, Tormentilla, Scordium, Carlina, Zedoaria, in hoc casu multo esset efficacior futura.

Pulveris SVDORIFERI multæ extant descriptiones, inter quas olim usitata, autore Marsilio Ficino, talis est.

I.

℞. Dictamni albi, Corall. albor. Tormentillæ. Boli armeniæ, Gentianæ, añ. ʒ. ij. Terræ Sigillatæ ʒ. j.

II.

Alia descriptio ex eodem desumta.

℞. Pimpinellæ, Myrrhæ, Zedoariæ. añ, ʒ. ij. Santalorum, Terræ sigillatæ. añ. ʒ. iiij. Seminum citriorum, Croci. añ. ℈ ij. Cornu unicornis, aut cervini selecti. Hyacinthorum. añ. ʒ. j.

III.

Alia descriptio D. Fracastorii.

℞. Boli armeniæ veræ, Terræ lemniæ veræ, Tormentillæ, Scordii, Cornu unicornis vel ceruini debito tempore collecti, quibus addatur Gentiana & Carlina eadem dosi.

Sciendum vero eſt, duo eſſe genera Boli armeniæ orientalis, una colore luteo, dura & ſolida, inſtar petræ, ſed injecta aquæ ſtatim ut calx diſſolvitur. Altera eſt rubra, neque ſimilis lapidi, ſicuti etiam non eſt, ſed potius terra pura & pinguis. Nos primum genus accipiamus pro bolo armenia deſcripta a Galeno, nam cum illo ſatis bene convenit: alterum vero interea terræ Lemniæ loco ſubſtituamus.

Vtq; hac ratione melius inſuper foras propellatur venenum per ſudorem, adhuc validius hiſce pulveribus & melius cenſetur eſſe Electuarium de ovo Maximiliani I. Imperatoris, cuius legitima deſcriptio apud excellentiſsimum Matthiolum talis eſt.

℞. Ovum unum, & perfora illud in ſummo, foramine non magno, ſed tali, ut albumen extrahi poſsit, quo extracto, dimiſſo in cortice vitello, repleatur croco opt. idque ad ſummum, & cooperiatur alterius ovi corticis ramento, albumine madefacto, ut melius inhæreat, deinde ovum cineribus calidis ſuperpoſitum tamdiu torreatur, donec colorem contrahat ruffum ad nigredinem tendentem, poſtea teratur in mortario, donec nullum appareat corticis ramentum. Tunc ℞. Sem. ſinapis albi æqualem proportionem cum prædictis, & teratur

ratur per se in farinam. Ac ℞. Dictamni albi, Tormentillæ, añ. ℥. ij. ℈ ij. Nucis Vomicæ ℥. ij. quæ omnia terantur per se in tenuiss. pulverem, ac inde misceantur in mortario, & incorporentur diu cum pistello. Postea ℞. Theriacæ opt. ad pondus omnium, & simul misceantur per duas horas.

Modus utendi hoc Electuario idem est, ac ille quẽ supra de Theriaca Arnoldi exposuimus.

Existimo huc usque me attulisse remedia efficaciss. quæ plurimum a toto collegio Medicorum fuere approbata. Sed contra officium boni viri & hominis Christiani fecisse videar, nisi dicam quoque nonnihil de quibusdam Medicamentis, quæ Veronæ & Venetiis in peste felici successu & cum salute multorum exhibita fuere. Quæ triplicia sunt. Primum pilulæ purgantes. Secundum pulvis sudoriferus. Tertium Antidotus in forma Electuarii. Primum & secundum ad præservandum sanos bis sumitur diebus continuatis alternatis unum post alterum, incipiendo a pilulis. Tertium accipitur quinto die ad drachmam unam pro una vice.

In curatione vero peste correptorũ sumuntur duo priora sicuti prius, alternis vicibus & septimo die Antidotus. Pilulæ evacuant humores & excrementa crassa in ventre & membris naturalibus existentia. Reliqua duo virtute

ſua propria et ſingulari, tanquam alexiteria & adverſantia veneno, humores ſubtiles univerſos, & omne venenum ad ſuperficiem expellunt ex viſceribus, venis, carne & omnib. partib. corporis, per occultos & inſenſibiles meatus propter ſudorem, plurimum roborando membra principalia: hocq; modo corpus purum redditur a pravis & corruptis atq; infectis humoribus, & cunctæ partes univerſi corporis liberantur a veneno, & robur illorum confirmatur.

Neceſſe eſt autem, modo hæc & eiusmodi alia genera Medicamentorum debeant id præſtare quod pollicentur, ut ſine mora initio morbi ſumantur, alioqui ubi jam malum penetraverit altius & radices egerit, nihil tam hæc quàm alia remedia prodeſſe poterunt. Accipiuntur hæc tria matutino tempore in lecto quinq; horis ante cibum, & poſt duo poſteriora aſſumta provocatur diligentiſsime ſudor, quo facto abſtergitur bene univerſum corpus, & mutantur induſia, lecti, & lintea. Pulvis vero datur in vino ſubtili, calido ea quantitate ut in eo diſſolvi queat. Antidotus in forma boli exhibetur in nebula, ut vocant, madefacta & ſuperbibitur. ℥j. s. *aceti calidi, ac ſudatur quantum vires tolerant.*

Hæc tria remedia Veronæ & Venetiis a pluribus utiliter fuiſſe uſurpata, etiam in quibus jam bubones vel carbunculi aut maculæ nigræ

græ

græ apparuerunt, ego & præsides sanitatis, ut appellant, affirmare possumus. Quorum equidem compositiones hic libenter adjungerem, sed hucusque ad manus meas non pervenerunt. Invenire autem licet Veronæ apud Andream Bellicoccum pharmacopolam ad Angelum Gabrielem virum integerrimum & in sua arte versatissimum, electum ideo a civitate ista in pharmacopæum Curiæ & officii sanitatis. Qui publico quoque scripto usum eorum medicamentorum, ut audio, satis superque est explicaturus.

Postremò contra alteram huius mali caussam, eamque sane præcipuam, consistentem in multitudine seminariorum, non video apud nos aliquid auxilii esse adhuc propositum, quæ tamen nisi aliqua ex parte auferatur, vix pestis cessare poterit. Cum enim vitam agere sine inspiratione nequeamus, quamdiu aër huiusmodi seminariis erit repletus, adhuc venenati aliquid in se continere dicendum est, nosque loco aëris salubris, qui ad refrigerationem cordis & spirituum instaurationem necessarius est, attrahimus id quod interitum affert, ipsum nimirum venenum. Expurgandus itaque necessario erit ab eiusmodi exhalationibus fomitem huic malo suppeditantibus. Perhibuimus autem antea, ignem apud veteres habitum fuisse pro accommodatissimo remedio, quod tantum malum

in aëre existens consumeret: quare nobis quoque persuadeamus, nullum aliud auxilium industria & diligentia humana posse excogitari, quod eo sit efficacius & validius. Scimus enim, quanta ignis vis & efficacitas sit, non solum in Elementis, sed etiam in corporibus mistis & compositis ex illis, usque ad metalla solidißima & durißima aliarum rerum omnium & potißim. in ipso auro, quod igne purius reddi solet. Sed quid dicemus ignem purificare corpora simplicia & composita, cum sacri doctores atque profani statuant, spiritus etiam ipsos vi ignis purgari, & Deus maximus ignem, tanquam peculiare instrumentum elegit, quo ab omnibus sordibus Mundum ultimo die depurgabit, cum venturus est ad judicium exercendum in vivos & mortuos, & per ignem reducet cuncta hæc inferiora ad suam puritatem. Passa est equidem hæc potentißima civitas Veneta paulo ante maxima ex igne damna, nunc vero, ita Deo volente, per eundem debet recipere immortalia beneficia & liberari ab hac tam horribili calamitate, si illo utamur eo modo quo superius indicavimus. Vtinam vero divinæ Maiestati placeat, ut per infinitam suam bonitatem & misericordiam hoc flagellum ab humeris populi huius religiosißimè hoc ab eo petentis auferatur: ab ea enim sola expectanda erunt cuncta bona tam animi tam corporis.

BRE-

BREVIS METHODUS CURANDI PESTIFERUM CONTAGIUM, QUOD ANNO CHRIsti M. D. LXXV. & LXXVI. Panormum Metropolim Siciliæ invasit: conscripta jussu illustrissimi principis Ducis de Terra Nova: Supremi præfecti istius Regni: & ex Italico libro de eodem contagio excellentiss. Protomedici Ioannis Philippi Ingrassiæ: parte quarta, cap tertio conversa.

Modus curandi hoc malum contagiosum, (quod vocari poterit malũ Bubonarium pestiferum, vulgo italice la ghiandussa over ghiandola, quoniam corripit ut plurimum glandes, id est, carnes glandulosas) instituendus est secundum præcepta Medica, cum ratione victus conveniente, Medicamentis atque chirurgia. Præterea cum evacuationibus universalibus, atq; etiam particularibus in locis affectis, & appositione quoque remediorum localium. Observandum autem est in hoc morbo, contrario modo quàm in aliis progredi. Cum enim in morbis cæteris ab universalibus ad particularia perveniatur, in hoc tamen morbo contra agendum & ad parti-

NB.

cularia & postea demum ad universalia procedendum. Quod quidem optime animadverterunt Manardus, Antonius Gnainerius & Marsilius Ficinus. Si itaque nullum penitus indicium bubonis aut pustularum, aut cuiusvis inflammationis, nec etiam petechiarum apparuerit, sed tantum febris affuerit, cum aliquo pravo symptomate cordis, capitis, aut ventriculi, rubedine oculorum, & calore pectoris, capitis aut utriusque partis, ex his indicatio Medico præbetur mittendi sanguinem, consentientibus utique viribus, & non contradicendo ulla alia cuiusdam momenti indicatione. Media verò hora ante venæ sectionem, præmisso prius simplice enemate, detur ægro simplex aliquod vel compositum Medicamentum alexipharmacum, de quibus aliàs locuti sumus: & infra quædam præcipua seorsim indicabimus. Vt scilicet hoc modo spiritus corroborentur, nec non omnes pariter facultates, & contrà vis materiæ venenosæ debilitetur: utque per sanguinis emissionem hoc modo maligna materia expellatur, & natura conservet sibi spiritus proprios et partem sanguinis meliorem & subtiliorem. Exempli caussa si exhiberetur. ℨ. 1. Boli armeniæ veræ, Terræ sigillatæ veræ, aut alterius ex Antidotis, bibendo postea statim duos haustus aquæ Scabiosæ. Acetosellæ, aut Rosarum cum pauco Aceto rosaceo. Neque huic rationi curandi in hac pestilen-

dubium

[l]entiæ illud adversatur, quod Iohannes Thomas de Porcellis, qui Cæsaraugustæ in Hispania anno 1564. diligentiss. omnia observavit atque litteris mandavit, tradit, initio nimirum evacuationem per vomitum esse tentandam, nam in illa peste Cæsaraugustana in Aragonia materia peccans consistebat in vesica fellis, unde ascendebat ad os ventriculi, atque ideo ita ut monet erat curatio instituenda: quod hoc loco etiam fieret, si tale aliquid accidisse animadvertissemus. Post venæ sectionem subito iterum exhibeatur uncia una conservæ citrii pomi aut limonum, aut agrestæ, vel, si nihil aliud assit, Sacharum Rosaceum cum pauco Bolo armenia vel alio quovis alexipharmaco simplice vel cōposito, cum exigua quantitate eiusdem aquæ, aut similis alterius decoctionis ex rebus proprie respicientibus hoc venenum. Idque non solum observatur inprimis ante venæ sectionem: sed utile insuper est, cordi, fronti, epati, & testibus applicare aliquod epithema vel unguentum confortans & huic malo conveniens, (modo non appareant in his locis petechiæ, quæ hoc modo possint ad principales partes repelli) sintque hæc topica non adeo frigida sed temperata, & in magnis caloribus moderate frigida, ut actu nonnihil tamen calide adhibeantur. E contra vero sub auribus, axillis, & inguine fiat fomentatio & unctio leniter attrahens, neque tum

NB.

adhuc

adhuc applicentur cucurbitulæ, quemadmodũ facit Manardus, ne violenter aliquid attrahatur, cum nondum ſciamus, quam viam expulſionis natura velit ſuſcipere. Præterea ungantur pulſus ubique oleo Caravitæ vel de ſcorpionibus, aut alio alexiterio, de quibus antea quædam etiam ſcripſimus. Hiſce itaque remediis prius adhibitis, nec non etiam eodem tempore, quo adhuc applicantur, vena ſecari poterit: potiſs. quando febris, ut diximus, aſsit, & nihil appareat quod contradicat, quod omnibus Medicis quidem debet eſſe notiſs. Quod ſi poſt hanc evacuationem ſanguinis nullum adhuc ſignum externum ſeſe oſtendat, tum ſymptomata jam indicata conſideranda erunt, num ſcilicet ea magis circa caput infeſtent, quo tempore vena ſecatur cephalica dextra. Si magis cor laboret, axillaris ſiniſtra, ſin potius malum ſit circa ventriculum vel epar, axillaris dextra. Sin penes umbilicum inferius, ſanguis mittatur in pede dextro vel ſiniſtro, prout in hoc vel illo loco moleſtia aut ſymptoma gravius ſentiatur. At ſi nullibi tale quippiam accidens adeſſet, excepta febre gravi, ſine peculiari læſione alicuius partis, primum ſanguis evacuetur e pede, ſemper eo reſpiciendo, ut materia venenata ad partes inferiores, & quantum fieri poteſt longe a corde trahatur. Atque in hoc caſu præter corroborationem membrorum principalium jam

dictam

dictam & alexipharmaca præmissa, satis erit ad inguina lotionem aliquam atque unctionem applicare. Vt essent, exempli gratia, anodyna quædam in vino decocta & lixivio cum oleo chamæmelino, Liliorum alborum, aut seminis lini, ut omnia eo dirigantur quo materia ad inferiora trahatur. Quo facto, si appareant magnæ abundantiæ sanguinis indicia, in brachio quoque vena secari poterit.

Jam si signum aliquod bubonis aut doloris in tribus dictis emunctoriis, aut etiam pustulæ, vel carbunculi apparerent, & nihilominus quoque febris eadem perseveraret atque alia symptomata, vel potius hæc omnia augerentur quàm decrescerent, multo tutius adhuc & validius attractioni materiæ venenosæ ad loca convenientia, quo Natura eam tentavit propellere, est insistendum. Dico autem valide hoc esse faciendum, idque eo magis, si viderimus hoc esse Naturæ opus desiderantis auxilium. Quod cognoscitur ex eo, quia in augmento tumoris, febris & alia symptomata minuuntur. Trahitur igitur venenum extra corpus, quantum poßibile est. Idq; non aliter ac fieri solet in morsu animalis venenati & potiß. canis rabidi, ubi statim venenum extra corpus ad locum demorsum cum cucurbitulis, scarificationibus, vesicatoriis, aliisque medicamentis venenum attrahentibus aut venenatam Materiam, tandem etiam

am cum Cauteriis actualib. elicitur. Quod quidem tanto plus convenit, quanto magis Natura propellens hoc a partibus nobilib. internis ad ignobiliores exteriores, in hac sua expulsione videtur quasi subsidium aliquod expetere. Vnde princeps Arabum Avicenna ait, non solum non curamus si fiat apostema in aliquo membro, sed etiam materiam eo attrahimus, ut peius illi sit, interiori vero principali melius. Quod si hoc fieri debet in morsu animalis, prius quàm venenum ingrediatur in corpus, multo magis necessarium erit hoc extrahere, quandoquidem jam antea universum corpus & potissimum cor infecerit. Facta itaque initio eiusmodi attractione cum lotionibus, unctionibus, atq; etiam cucurbitulis supra bubonem aut saltem paulo infra illum, aut applicata hirudine, præsertim febre existente una cum aliis symptomatib. sæva atq; periculosa: & roboratis membris principalibus per Antidota intus assumta & aliis topicis illis impositis, sine mora & subito sanguis erit mittendus. Dico autem subito, ut scilicet hoc fiat dum corpus & ipsius natura adhuc valida est. Verum equidem est, si ante hanc primam missionem sanguinis, non existente tanta necessitate, nec symptomata essent adeo maligna, & quæ multum nos solicitos redderent, non potest nec debet fieri tam magna atque violenta attractio, quemadmodum diximus, potissimum si fuerit

erit

erit hic motus plane symptomaticus, hoc est, si quanto magis crescat tumor, tanto etiam vehementior febris & reliqua accidentia fierent. Tum igitur sufficeret, ut facta primum leni fomentatione cum anodynis coctis in lixivio, vino & oleo liliorum alborum, apponatur cucurbitula quatuor digitos infra tumorem, at si maior necessitas urgeret propter venenositatem maiorem & peiora accidentia, dum in loco jam indicato hæc vix per quadrantem horæ manserit, de novo affigatur per vnum tantum digitum infra tumorem, tandem vero ponatur supra ipsum tumorem, quando nimirum non adeo magnus dolor adest, a quo periculum esset ne tumor fieret malignus propter nimiam attractionem, aut metuatur deliquium animi: in quo casu tutius hirudines applicentur: dumque hæ trahunt, aut saltem quamprimum cucurbitula est remota, sanguis mittitur. Postea statim scarificatio aut ustio vel vesicatorium, pro ut maior vel minor tumoris apparere solet malignitas, administratur. Quæ cognoscitur præcipue ex suo colore, & febris magnitudine, atque symptomatum malignitate a nobis alibi explicatorum.

Quando vero tanta malignitas non apparuerit, satis esset, si post fomentationem & cucurbitulam, atque etiam sine hac, ubi tumoris inflammatio & dolor magnus esset, applicare-

tur

tur cataplasma paratum ex cæpa alba cocta simul cum pauca intus posita theriaca, cui additur aliquid butyri, fermenti, malvæ & allii cocti, itemque scabiosæ, ad extrahenda foras & extinguenda aut debilitanda ista seminaria contagiosa, quæ ad tumorem confluxerunt, atque etiam ad digerendam materiam malignam eo modo quo id fieri concessum est. Hoc cataplasma extendatur super folium braßicæ, incisæ prius in multis locis cum acie cultelli aut forcipe, ut hoc modo venenum attractum poßit per cataplasma foras exhalare. Post huius appositionem topici partim attrahendi partim maturandi facultate præditi, sanguis mittitur. Fitque hæc mißio sanguinis e vena tumori sive buboni proxima, quæcunque illa sit, ad vacuandum e loco & evocandum venenum, non verò ad divertendum, nisi a membris principalibus. Vt si esset in inguine, in eodē pede ex saphena, id est si in dextro inguine, pariter fieret ex pede dextro, & si in sinistro, ex pede eodem. Similiter fit si anthrax exoriretur aut pustula circa umbilicū inferius, aut in exteriore vel interiore parte coxæ vel tibiæ: quanquam si esset in partibus exterioribus & posteriorib. coxarum vel tibiarum, fit sectio quidem in eodem latere, sed ex vena dicta ischiatica, & non ex saphena: nam semper ex vena proxima instituitur evacuatio cum derivatione non diversione ex parte affecta. Atque ideo

si bu-

ſi bubo eſſet ſub axilla, ſanguis mittendus ex vena axillari, id eſt, vena epatica eiusdem lateris. Si puſtula quæpiā vel carbunculus a furculis usq; ad hypochondria, id eſt, usq; ad fœmora, tam in anterioribus partibus per univerſum pectus & ventrem, quàm poſterioribus in humeris, dorſo aut lateribus, denique ſi circa gulam infra aures aut pone illas appareret bubo, ſtatim ſanguis mittendus ex cephalica in eadem parte ubi tumor exiſtit. Similiter ex eadem vena ſanguis trahatur, ſi carbunculus aut puſtula eſſet in collo aut ipſo capite, in parte anteriore vel poſteriore, vel in latere. Obſervandum tamen hoc etiam eſt, ſi tumor in utraq; parte appareat cum febre, ut diximus, id eſt, in dextra & ſiniſtra, vena etiam, ſi opus eſſe videatur, in utraq; aperiatur. Prius tamen ex eo latere, in quo maior ſeſe oſtendit tumor, & poſtea ex altero, ubi minor exiſtit, auferendo plus ſanguinis ex primo quàm altero latere. Diximus autem, ſi opus eſſe videatur, nam fieri poſſet, ut facta prima phlebotomia, nulla amplius ſanguinis abundantia appareret, nec ullæ indicationes hoc permitterent, ſed forſitan magis purgationem, de qua paulo poſt loquemur, inſtituendam eſſe ſuaderent. Atque hæc quidem de ſanguinis miſſione dicta ſint, ſemper tamen bene conſideratis omnibus in Arte Medica regulis & aliis neceſſariis circumſtantiis, quæ in evacuatione ſanguinis pro-

ponuntur. Addamus autem exempli caussa tantum unum cataplasma ad anthraces sive carbunculos, atque etiam ad pustulas. Facta enim scarificatione, aut ubi alioqui necesse fuerit, imponitur supra locum affectum pomum punicum sive granatum acidum coctum in aceto donec liquescat, quo facto & bene pomo contuso fit unguentum miscendo aliquid scabiosæ & foliorum consolidæ maioris, quæ duo contunduntur inter duos lapides & postea omnia bene subiguntur. Quodsi poma hæc neque viridia nec sicca, nec etiam acida aut dulcia, cum anni tempus non ferat, reperiri queant, contenti esse poterimus scabiosa & consolida, aut etiam cataplasmate ex plantagine & lenticula cum medulla panis parato. Ac quoniam dum febris adesse incipit, jam universum corpus est infectum, idque eo magis etiam quando ex signis jam commemoratis in glandulis vel ipsa cute quippiam appareat, hoc tempore quanto celerius fieri potest purgatio est instituenda, (non expectando ullam concoctionem) cum Medicamentis lenibus, ut infusione Rosarum Damascenarũ, Manna, pauco Rhabarbaro aut Agarico: interdum quoq; danda Caßia, Triphera persica, Myrobalani cum decoctione florum atq; fructuum cordialium & Tamarindorum, facta in aqua Acetosellæ aut Scabiosæ: adjungiturque aliquid de illis pulveribus jam indicatis contra venenum,

saltem

saltem ad ℥. j. vel dimidiam. Alii addunt. ℥. ß. Theriacæ, aut per unam atque alteram horam (quod melius est) ante evacuationem datur aliquid ex Antidotis & postea Medicamentum purgans exhibetur. Abstinere autem debemus in principio morbi a medicamentis violentis (nisi septimus vel etiam nonus dies præterierit) alioqui vires omnino prosternemus. Idq; eo diligentius cavendum erit, si Natura intenta fuerit, ut materiam per alias vias educat, nam aliter vi quadam a sua operatione avocaretur: nisi forte hoc faciendum sit ad relevandum ipsam a tanto onere malignitatis, potissimum quando præter venenositatem assit quoq; multitudo humorum peccantium. Sæpe enim videmus Naturam hoc modo alleviatam validius prosequi suum opus propellendo quod infestum est ad partes ignobiliores. Atq; ideo fiant eiusmodi evacuationes potius minorantes & lenientes quàm eradicantes ante diem quartum. Postea vero raro sanguis mittitur aut purgatur, nisi virtus esset admodum valida, & abundaret sanguis (quantum ad phlebotomiam) vel adesset multitudo pravorum & malignorum humorum, (quantum ad purgationem) præsertim si impedita fuisset aliis de caussis in principio alterutra evacuatio: quod sane universum judicio prudenti Medici præsentis permittitur, qui quidem sit doctus, ingeniosus & mul-

tæ experientiæ. Requiritur autem inſuper eam quoque ob cauſſam tam univerſalis quàm particularis evacuatio celeriter adminiſtranda, quo in poſterum ſecurius nutrire poßimus. Infecti enim hac lue non poſſunt exquiſitam diætam ferre, imo exhibendi illis ſunt cibi multæ ſubſtantiæ ex juſculis bonis & quas vocamus tortas, idq; in maiore vel minore copia, prout Medico præſenti viſum fuerit. Non quidem negandum eſt, ſi carbunculi, bubones aut puſtulæ apparerent ſine febre, non ita ſubito deveniendum eſſe ad evacuationem, niſi magna plethora ad phlebotomiam, aut multa cacochymia ad evacuationem faciendam nos admoneret, aut ambo abundantia utrumq; non negligendum eſſe ſuaderent. Opus itaque eſt, ut non exiſtente amplius febre, quæ forſitan initio affuit, intereà expectemus. Quod ſi febris continuet, non obſtante hoc quòd forte ambæ evacuationes fuerint uſurpatæ aut alterutra, nihilominus debent crudi bubones aperiri, idque eo citius, quo febris maior apparuerit. Quod ſi febris non ſit valida, & ſaltem aßit capitis obtuſus torpor, aut cordis affectus, aut aliud ſymptoma malignum, aperiatur ſtatim cum cauterio ignito, atq; dum hoc fiat, ſive ſit crudus ſive maturus, ampla & magna adminiſtretur apertio, ut totum venenū exeat. Sæpenumero.n. hoc intra illos tumores corrumpitur, habetq; radices quasdam nigras, latentes,

tentes, una cum magna putrefactione interna. Atque ideo non usurpantur pus moventia nimis humida, quæ potius putrefacere solent ipsum membrum & eius substantiam quàm concoctionem adjuvare. Immo si occurrat minimum etiam principium corruptionis, statim sit ad manum præcipitatus, ægyptiacum, & his non sufficientibus adjungatur vitriolum, sublimatum, viride æris, secundum judicium Medici præsentis, semper hoc agendo ut omnis malignitas atque corruptio sine mora foras èxtrahatur, & universa putrefactio exiccetur, ad extinguendum & penitus delendum omne seminarium contagiosum ibidē latitans. Quod si opus esse putaverimus, altera vice etiam applicabimus cauterium ignitum, derivantes nonnunquam materiam malignam & venenatam ad partes adjacentes, appositis circa locum affectum vel magis ad partem inferiorem, si longe abest ab aliquo membro principali ac potiss. a corde, cantharidibus ad excitandas vesicas, aut cucurbitulis cum scarificatione & sine illa, pro ut necessitas postulaverit. Idem agendum diligenter, immo cum maiore celeritate in ipso etiam loco atque in vicinis pustularum malignarum, quæ vulgo solent nominari papulæ, atq; multo adhuc magis in carbunculis, quæ sunt quædā eminentiæ malignæ, nigræ, adustæ, ortæ ex materia venenata, quare ignis & alia medicamenta

 conve-

convenientia propter ipſorum magnam tyrannidem ſemper ſint in promtu. Celebris enim eſt iſta ſententia Hippocratis, quod morbis extremis applicanda ſint quoq; Medicamenta & remedia extrema. Quantum vero ad petechias, quæ ſunt punctura quædam interdum rubræ, ſed ut plurimum malignæ, nigræ aut lividæ vel violaceæ vel virides ſparſæ per totum corpus: nonnunquam etiam maculæ aſſunt maiores eiusdem coloris cutem inficientes, inprimis tamen circa pectus, dorſum, & brachia, in illis non oportet jam propoſitis remediis uti. Immo cum hæ jam bene apparuerint, ut plurimum neque venæ ſectio nec evacuatio convenit, nam hoc pacto venenum intro ſeſe reciperet, quod a natura fuit ad diverſas partes cutis expulſum. Quod ſi propter nimiam ſanguinis copiam videretur eſſe conveniens (viribus bene ſi habentibus) miſsio ſanguinis, inprimis ſi ſoleant admodum rubere, aut etiam animadverteretur, cuiuscunque ſint coloris, eas intra corpus reverti cum incremento febris aut alterius pravi ſymptomatis, tum fieri poterunt ſcarificationes cum cucurbitulis lenes ſine violentia maiore, primum ad nates, & deinde in humeris. Atq; in hoc a multis Medicis doctis commendatur quoque evacuatio ſanguinis per hæmorrhoides, præſertim ſi ægro hoc eſſet conſuetum. Poteſt etiam mitti ex Saphena potiſs. in fœminis, ſed

quo-

quocunque modo fiat, quantitas non ſit immoderata, & potius peccetur in defectu quàm exceſſu. Sin vero copia aſsit humorum, eſſetq; corpus cacochymum, in victu intemperans, & diu non evacuatum, virtute exiſtente valida, inprimis ſi exeuntibus illis febris & alia ſymptomata non diminuerentur, & quod eo peius eſt, etiam augerentur, periculoſiſs. vero ſi plane evaneſcerent, tum leni aliquo medicamento purgandũ erit: qualis eſſet ſola infuſio, aut caſsia, aut manna, non excedentes terminum lenitionis tam in qualitate tam quantitate medicamenti. Poſtea ſudor provocari poterit cum reb. convenientib. a multis Doctorib. in ſimili caſu præſcriptis: nosq; ſatis habebimus exempli cauſſa proponere pulverem non ſolum ſudoriferum, ſed etiam certa antipathia adverſantem venenatæ contagioni. Accipitur radic. Tormentillæ, Dictamni Cretenſis, Dictamni albi, Gentianæ, Santalorum citrinorum, Pimpinellæ, Zedoariæ, Radic. Carlinæ, Granorum juniperi, Semin. Citrii pomi, Cinamomi opt. Sem. Fœniculi, Aniſi, Apii, Petroſelini Scordii, Cardui benedicti, Calami Aromatici, ſingulorum partes æquales: inde paratur pulvis, cuius ℨ. j. miſta cum uncia una conſervæ acetoſitatis citri datur infirmo, deinde factis frictionibus lenibus cum linteis calidis, propinatur dimidia libra decoctionis arundinum, aniſi, ſemin. fœniculi, ficuum ſiccarum & laccæ, atque

 tectus

tectus] æger in lecto quando vires permittunt, ſudatur, modo ſit in declinatione accidentis. Quod ſi in iſto decocto impoſitum fuerit aliquid ligni ſancti aut Sarſæ pariglia aut chinæ, tanto erit melius. Atque hic pulvis & decoctio iſta ſudorifera poterunt quoque utiliter exhiberi laborantib. carbunculo, puſtulis & bubonibus, factis univerſalib. atq; etiam particularib. evacuationibus. Antea diximus, ſanguinis miſsionem & purgationẽ, quàm fieri poteſt, ſtatim eſſe adminiſtrandam, priusquã quartus dies prætereat, atq; pariter etiam attractionem venenati contagii ad partes exteriores & cauteriorum applicationem, ut nimirum in principio ſeminaria extinguantur. Verum tamen accidit interdum ut febris ſit lenta & ipſius ſymptomata (potiſs. in temperamento & tempore frigido) quaſi mitia aut, ut ita dicamus, minus maligna appareant, unde tumor incipit ad maturationem tendere. In eiusmodi itaq; tumore applicamus maturantia ex radicibus lilii albi, malvæ, altheæ, ficubus aridis, cæpa alba, ſcabioſa & rumice: quæ omnia cocta & ſubacta ſint cum farina frumenti, butyro & adipe, adjecta pauca Theriaca aut Mithridatica confectione, atque etiam interdum momento Ammoniaci, pro arbitrio prudentis chirurgi, adjuvantes etiam Naturæ operationem cum fomentis ex iisdem rebus coctis in aqua & oleo. Maturus po-

ſtea

tea bubo factus aperitur, quemadmodum diximus, cum igne, ut vulgo aiunt, actuali: & expurgatur, abstergitur, mundaturque semper vulnus diligenter attendendo & cavendo ne putrescat. Quod si res in longum protrahatur, usq; ad nonum diem vel ulterius, rursum corpus evacuari, si opus esse videbitur, poterit, (præsertim si initio hoc non fuisset factum, aut medicamentum nihil præstitisset;) cum validioribus medicamentis atque etiam solutivis, constantibus tamen viribus, & prout humorum abundantia aderit, qui cum crassiores in corpore manserint, ideo validiore attrahente indigent.

Quantum attinet ad usum medicamentorum contra venenum exhibendorum, id est, alexipharmacorũ tam simplicium quàm compositorum, quæ antipathiam habent contra principia seminariorum contagiosorum, ut est Terra Sigillata, Bolus Armenia orientalis, Theriaca, Mithridatium, omnes conservæ ex rebus acidis, inprimis tamen ex acetositate citrii pomi. Epithemata Cordis, Epatis, Vnctiones, Electuaria Cordialia & similia alia remedia, unusquisque diligenter autores Artis Medicæ consulens, illis uti poterit, adhibens illa tam per os quàm exterius in corpore, secundum varia temperamenta hominum, mali diversas species, tempora, & alias circumstantias in Medicina consideran-

das. Quæ omnia brevitatis caussa prudenti judicio Medici præsentis committimus, de his universis paulo post copiose tractaturi ad utilitatem totius huius regni. Hæc itaque breviter hoc loco propter mandatum illustrißimi Ducis annotasse satis esto.

DIS-

DISPVTATIO ACCVRATISSIMA DE PESTE MEDIOLANENSI, QVAE ANNO Christi M. D. LXXVII. vrbem afflixit, doctissimi Medici & Philosophi D. Cæsaris Rincii Mediolanensis.

CVm pestis a primo suo statu circa Februarii finem & Martii principium non obscure variaverit, eo quod prius Bubones, & carbunculi una cum pestilenti febre apparerent unicuiq; sexui & cuicunque ætati contingentes, aliquando ultra quartum diem, etiam in morituris protensi: interdum tamen ad salutem terminati, deinde vero non tam frequenter huiusmodi tumores erumperent, pro quibus nigra aut liventia exanthemata crebro successerint, subito interficientia, & sæpius pueros adolescentesque, aliquando mulieres, raro viros. Eo nomine quæritur huius varietatis caussa, qua (si fieri potest) exquisite cognita, tanto mortalium damno convenientibus & præsentaneis remediis occurrere valeamus. Et si quis diversus successus postea evenerit, pari consilio veniet considerandus.

Eius ergo commutationis non unicam fuisse

ſe cauſſam credibile eſt, partim enim in cibi potusque ac præteriti victus modum, partim in aëris manifeſtam qualitatem, ac forte ſimul in aliquam occultam eius vim referre, non erit a ratione alienum, partim quoque in omiſſa exercitia, partim in aërem non liberum, aliaque incommoda perpeſſa.

Conſtat namque quod ad victum attinet, populum multa ex parte craßioris ſucci pane uſum fuiſſe, oryza præterea & leguminibus, quæ omnia nedum craßioris frigidiorisque, ſed nec vitio carentis ſunt ſucci, atque præcipue ubi diutius talib. alantur homines, (Galeno teſte 1. de diff. febr. cap. 3.) tum etiam magis ſi ſine obſoniis, ſine vino (ut contigit) indigeſta fuerint: ac præſertim in lautiori victui aſſuetis. Nam quicunq; cibi craßi ſunt, magis morboſi ſunt, & potiß. ubi glutinoſi quoque ſint, obſtrui enim atque intrudi eum qui ab ipſis generatur humorem facilius exiſtit, ob putredinem: & hæc quidem omnia ſunt febrium cauſſæ.

Penuria quoque ignis quæ eis per hyemen contigit ob lignorum inopiam, quo & genuinus calor valde fovetur et inimicum vitæ frigus depellitur, aut ſaltem temperatur, morborũ cauſſæ vim jure ipſo obtinuit. Nobiliß. namque philoſophi eorum elementorum quæ animalia conſtituunt, ignem maximam vitæ eſſe cauſſam exiſtimarunt. Et tantus eſt moderati ignis hominum

num

num vitæ usus & convenientia, ut Plato ignem nominarit caliditatem quæ est in corpore.

Intermissio præterea soliti laboris & exercitationum non parum obfuit, cum ab eis innatus calor, qui omnium operum vitæ est instrumentum, corroboretur, & universum corpus validius reddatur, atque illius excrementa validius expellantur. Morbos siquidem alios ac præcipue febrem (Gal. 2. de diff. febr. cap. 2.) faciunt exercitia dimissa, quod in pestilenti febre maxime locum habet.

Libero insuper aëre satis longo tempore, quamdiu scilicet domi sese continuerunt, privati fuere homines, a quo alioqui spiritus valide recreantur & purgantur.

Ambientis quoq; nos aëris ea conditio, quæ in proximè præterita hyeme viguit, dum extra naturam propriam valde sicca & consueti frigoris quasi expers fuerit, hanc varietatem potiss. produxisse arbitrandũ: maxime namq; mutationes eorum quæ circa naturam nostram habitumque contingunt, morbos pariunt, nec hosce faciunt nomina temporum anni sed temperamenta: quanquam non sola aëris temperatura morbos faciat, sed & victus ipse. Martio itaque mense plus æquo calido, cum præcessisset hyemis jam indicatum temperamentum, attenuato & fuso crasso sanguine, rarefactis quoq; corporibus, facilius fuit peccantes humores ad

cutem

ſe cauſſam credibile eſt, partim enim in cibi potusque ac præteriti victus modum, partim in aëris manifeſtam qualitatem, ac forte ſimul in aliquam occultam eius vim referre, non erit a ratione alienum, partim quoque in omiſſa exercitia, partim in aërem non liberum, aliaque incommoda perpeſſa.

Conſtat namque quod ad victum attinet, populum multa ex parte craßioris ſucci pane uſum fuiſſe, oryza præterea & leguminibus, quæ omnia nedum craßioris frigidiorisque, ſed nec vitio carentis ſunt ſucci, atque præcipue ubi diutius talib. alantur homines, (Galeno teſte 1. de diff. febr. cap. 3.) tum etiam magis ſi ſine obſoniis, ſine vino (ut contigit) indigeſta fuerint: ac præſertim in lautiori victui aſſuetis. Nam quicunque cibi craßi ſunt, magis morboſi ſunt, & potiß. ubi glutinoſi quoque ſint, obſtrui enim atque intrudi eum qui ab ipſis generatur humorem facilius exiſtit, ob putredinem: & hæc quidem omnia ſunt febrium cauſſæ.

Penuria quoque ignis quæ eis per hyemen contigit ob lignorum inopiam, quo & genuinus calor valde fovetur et inimicum vitæ frigus depellitur, aut ſaltem temperatur, morborũ cauſſæ vim jure ipſo obtinuit. Nobiliß. namque philoſophi eorum elementorum quæ animalia conſtituunt, ignem maximam vitæ eſſe cauſſam exiſtimarunt. Et tantus eſt moderati ignis homi-

num

num vitæ usus & convenientia, ut Plato ignem nominarit caliditatem quæ est in corpore.

Intermißio præterea soliti laboris & exercitationum non parum obfuit, cum ab eis innatus calor, qui omnium operum vitæ est instrumentum, corroboretur, & universum corpus validius reddatur, atque illius excrementa validius expellantur. Morbos siquidem alios ac præcipue febrem (Gal. 2. de diff. febr. cap. 2.) faciunt exercitia dimissa, quod in pestilenti febre maxime locum habet.

Libero insuper aëre satis longo tempore, quamdiu scilicet domi sese continuerunt, privati fuere homines, a quo alioqui spiritus valide recreantur & purgantur.

Ambientis quoq; nos aëris ea conditio, quæ in proximè præterita hyeme viguit, dum extra naturam propriam valde sicca & consueti frigoris quasi expers fuerit, hanc varietatem potiß. produxisse arbitrandũ: maxime namq; mutationes eorum quæ circa naturam nostram habitumque contingunt, morbos pariunt, nec hosce faciunt nomina temporum anni sed temperamenta: quanquam non sola aëris temperatura morbos faciat, sed & victus ipse. Martio itaque mense plus æquo calido, cum præcessisset hyemis jam indicatum temperamentum, attenuato & fuso crasso sanguine, rarefactis quoq; corporibus, facilius fuit peccantes humores ad

cutem

cutem vergere & per eam spargi, & hoc modo exanthemata efflorescere nigra aut livida. Simile quoque quibusdam effecisse prolixiore æstate pestilentiam ortam Galenus scribit libro de atra bili cap. 4. nec paucis eorum qui servati fuere, nigrorum humorum excretio per inferiorem ventrem, inquit, fiebat, iisque corpus totum pustulis, quæ nigris exanthematis similes essent, circum undique scatuit. Et quamvis huius præteritæ hyemis siccitas & remissum frigus non sint omnino æquanda prænarratæ æstivæ constitutioni, plurimum tamen recessit a sua frigida atque humida temperatura ad siccum & remisse frigidum accedens, & similiter veris principium ad calidum & siccum, usque adeo, ut hæc in signis proprii temperamenti mutatio egregie conduxerit ad crassiorum & exustorum humorum attenuationem & fusionem, quo facilius potuerint in cutem transferri, atque (ut venenosorum mos est) ad cor festinare & vitam ocissime destruere. Hæc itaque cæli intemperies hoc pacto potior fuit caussa, quòd Martii Aprilisque mensibus talia exanthemata seu potius ecthymata vel papulæ ab Hippocrate 3. tertii libri de Morbis text. 45, vel lenticulæ aut puncticulæ a recentioribus Medicis nuncupatæ, apparuerint. Quorum febres contagiosæ quidem alias esse solent, maxime in consanguineis, a quibus tamen etiam persæpe contingit ægros sanari.

nari, secus nihilominus si in pestilenti eveniant tempestate. Quoniam (ut clara experientia compertum est) tunc quàm plures talium ægrorum a consimilibus Morbis jugulantur, atque perpauci evadunt: immo in commemorata proxima constitutione non modo peracuti fuere morbi, sed etiam fere nunquam non occidentes, eorumque labes quoque ex fomite contrahebatur.

Non dissimili ratione hæc sæva symptomata pueris, adolescentibus ac mulieribus frequentius contigere quàm cæteris ætatibus aut sexui, utpote rarioris texturæ existentibus, & in quibus talis humor suapte natura in cutem ferri & ipsum cor magis petere paratior sit.

Morsque celer & fere inevitabilis eis succedebat ob materiæ extremam malitiam & acuitatem.

Nigritia vero exanthematum aut livor præcedenti humorum exustioni, & succorum maxime pravitati ascribi debuit, quibus repleta livida fiunt, nigricantia aut viridia.

An vero etiam ob aliquam Aëris pravam qualitatem proprio nomine carentem, vel cæli stellarumque influxum, vel contagium solum, vel etiam propter fomitem hi casus evenisse potuerint? Certum quidem est complures sub eodem tecto hunc pestiferum hostem confecisse, atque uno infecto alios familiares tanquam a contagio-

tagioso vitio infectos fuisse, atq; hoc nomine contagium fuisse caussam. Ex supellectile etiam occultata, vel aliunde translata, aut furtim subrepta sæpe ipsa pestis in multos sese propagavit. Aliquoties tamē ita obscura fuit eius initii caussa, ut non desierit suspicio occultæ qualitatis ambientis nos aëris aut influxus cæli, scientibus præcipue nobis tam extensam fuisse huius calamitosæ cladis vim, ut sæpe ignorata originis caussa, in perplura oppida, civitates, provincias atque regiones grassata paßim fuerit.

Dispari vero ratione Bubones ac Carbunculi fiebant in æstatis fine & in autumno. Quoniā in æstate humores ab adustione crassantur, nam quicunque per calidam siccamque intemperiem fiunt morbi, crassum utcunque sanguinem habent. Autumno quoque atræ bilis crassus humor abundat, perustis in æstate duobus succis, sanguine & pallida sive flava bili, a quorū crassitie morbi tardioris motus oriuntur. Vnde pestis eo tempore magis invadebat cum bubonibus aut carbunculis, nempe a craßioribus procreati humoribus quam exanthemata requirunt: & ultra quartum diem propter motus humoris craßi tarditatem, & minorem malignitatem, mors quandoque protrahebatur, hacque ratione non semper ex neceßitate mors sequebatur.

Et quoniam de bubonibus & carbunculis sermo factus est, de ipsis nonnulla subjecere non abs

ibus re fuerit. Bubones ergo licet sæpius fiant
um adenes intumuerunt, interdum tamen in
aliis corporis partibus fiunt. Postquam enim
prope magnam partis adenosæ arteriam aut
venam ulcus ortum est, celerrime bubones exci-
tantur, quod evenit, quia valentius est arteri-
arum, venarum, nervorum atque musculo-
rum robur, imbecillius autem (Gal. 13. Method.
Therap. cap. 5.) aut forte prorsus nullum corpo-
rum, quæ glandularum sunt naturæ, & sub in-
flammationis nomine bubones reponuntur at-
que etiam sunt. Duo namque buboni accidunt,
motus eius qui in arteriis & corde habetur alte-
ratio, & naturalis caloris immodica quantitas.
Et quanquam secundum jam dicta in aliis cor-
poris partibus fieri possint bubones, attamen fre-
quentius fiunt sub alis, aut in aliis adenibus,
quæ rara & spongiosa sunt corpora, præsertim
si corpus universum plenum sit & in eo inutilis
materia redundet, ex quibus febrem diariam
omnium benigniorem exoriri Galenus 1. de Di-
gnosc. pulս. cap. 6. scribit. Idque verum quidem
est aliqua ex parte in bubonibus ex labore ni-
mio ortis aut a Venere contractis. Contra pe-
stiferorum febres vehementissimæ sunt: nam
in his non satis est, ut bubo labefactet ventricu-
li actionem & vomitum irritet, sed & alia mul-
ta gravia afferre videmus symptomata, sicuti
dolores capitis, vigilias, deliria, sitim, cardia-

eas affectiones, inquietudines, atque pleraque alia.

Eodem autumnali tempore etiam carbunculi fiebant, qui cum intemperamento inæquali consistebant, quoniam qui particulæ alicuius cum tumore morbi sunt, velut carbunculus atque alii similes, hi quoque omnes perinde ac phlegmone cum intemperie inæquali consistunt. Quorum non solum calida est intemperies, sed ipsi & flammantes & vehementer calidi morbi sint. Putrefit enim in illis humor, & quæ putrescunt in animantis corpore, calorem quendam immodicum in his partibus, in quibus putrent, efficiunt.

Carbunculi quoque inter morbos instrumentales numerantur. Præterea partem corporis aggredi quamlibet invadere possunt: ut experientia testatur. Et quamvis carbunculi oriri soleant ex cacochymia, atque eos facile, qui ob penuriam a Galeno 1. de diff. feb. cap. 3. commemoratam cibos mali succi ingesserunt, corripiunt, ex quibus pauci sanabantur; attamen sanguis satis calidus ad atræ bilis naturam per adustionem conversus peculiariter eos generat.

Dum namq; sanguis supra modum assatur, pars quidem eius subtilior ac pinguior omnino in flavam convertitur bilem, quæ autẽ crassior in atram, quod in carbunculis max. contingit, in quibus ex sanguine supra modum efferue-

scente

ſcente ad humorē melancholicum fit transmutatio: intelligi autem volumus eiusmodi hunc humorem, qui nondum exquiſite in atræ bilis naturā transierit: ſed in prox. ſit conſtitutus. At ubi cum febre fluxio huius ſanguinis fit, carbonem appellatum facile gignit is humor melancholicus, dum in cutem decubuit: etenim ſanguinem defæcare expurgareq; nunquam non tentat Natura, quod vitioſum eſt ab eo ſecernens, tum a partibus præcipuis modo in ventriculum atque inteſtina, modo ad extremam ſuperficiem depellens. Sed quæ eius generis tenuioris ſubſtantiæ ſunt, ea partim per evaporationem, quæ ſenſum effugit, partim ſenſibiliter ut per ſudores, cutē perrumpunt. Quæ autem ſua craßitudine per cutis denſitatem traduci nequeunt, ſed intus cohercentur atq; detinentur, ſi calida ſint, carbones, ſin minus calida, cancros progignunt. Ex ſupra dictis clarum eſt, quòd ſi nigra bilis in quodam loco conſtituta in partem aliquam corporis extremam decubuerit, ibi carbunculum fieri poſſe: quia ex calido quidem fervore, verum craſſa, ut diximus, materia generatur. Conſtat præterea, quòd carbunculi natura ſit magis ex melancholico putrefacto ſanguine tumor ulceroſus & non ſolum talis ſed etiam ulcus eſcaroticum ſeu cruſtoſum depaſcens cum fluore: horum enim natura eſt, ut ſine ulceribus conſiſtere nequeant. Quod ſi ſanguis efferve-

ſcens fere ad inflammationem pervenerit, fieri ſolent aut gangrænæ, aut ſi fierit cum cruſtoſo ulcere, carbunculi, cum quibus inflammatio ſtatim adeſt & quidem valida, unde febres vehementes excitantur, & extrema pericula (quando peſtilentes ſunt,) inferunt. Sortiuntur tandem dicta ultera cruſtoſa talem ſuæ generationis modum. Cum enim ſanguis influens calidus ſatis extiterit & craſſus, & aliquod membrum ſubito occupaverit, hoc comburendo facit ulcus cum cruſta, quicquid vero circumjacet, in inflammationem levat efferveſcentem & graviter dolentem. Si vero ſanguis influens niger extiterit, craſſus atque fæculentus ac fervens, ſimul autem & ſanies nonnullas tenues admiſtas habuerit, puſtulas quasdam per ſumma cutis excitat, ſimiles iis quæ ex igne fiunt, quibus disruptis cruſtoſum ſub ipſis ulcus invenitur, quod carbo eſt. Quoniam vero in carbunculis naturalis mutatur color, ſcire expedit, quod cum nigra ubique & cinerulenta appareat carbunculorum ulceris cruſta, non tamen ut in aliis inflammationis partibus vicinis color ruber eſt, ſed ad nigrius declinat: aliter quidem quàm quæ ſanguine ſuffuſa ſunt, aut quæ algore frigent, non enim vehementer luridus ut in illis color eſt, ſed habet aliquid ſplendens, ut bitumen & pix, qualis eſt atra bilis, a quo carbones fieri ſupra poſuimus.

Supra

Supra dicta autem carbunculorum ulcera interdum cutem detegere valent, ob quod memoriæ prodidit Galenus 14. Meth. Therap. cap. 18. in iis, qui per Asiam populariter olim grassati sunt, etiam citra pustulas nonnullas excoriatam statim cutim fuisse, similibus tamen per omnia qui crustas facere solent, crusta ipsa nunc cineris colorem præ se ferente, nunc nigredinem, atque in his universis vicinam carnem ad summam pervenisse inflammationem, quæ tamen colorem Erysipelatis non haberet, immo qui adhuc phlegmones colore esset nigrior, veluti si plusculo rubro parum miscens nigri. Et alibi idem Galenus ait (lib. de diss. art. & venarum cap. 7.) Quin & putrifica quædam vitia ita aliquando circumjacente cute omnia quæ suberant, detexerunt, ut nudæ conspicerentur venæ, idq; per omnes continenter corporis partes tum videre max. licuit, cum fœda quædam lues carbunculorum id Asiam vulgariter ingruisset, quæ facile, quæcunque vidissent, persuasit exactam simiis cum hominibus similitudinem.

In Bubonibus vero & carbunculis febres fiunt, quia partes ubi inflammationem patiuntur, ratione putredinis febrim accēdunt: intrusus enim in ipsis humor, cum non bene diffletur, putrefit. In hisce enim omnibus inflammationibus communicationis ratione febris accenditur: semper enim calefacta proxima pars simul ca-

 lescit,

lescit, donec ad cor dispositio pertingat, quo non calefacto febris nondum est. Quod autem necessario febricitent, quibus carbunculi fiunt, idq; non minus, immo magis quàm illi quibus Erysipelatosa est phlegmone, id utiq; ex Galeni sententia 14. Meth. Therap. cap. 10. latere neminẽ potest. Nam sanguis putrescit in inflammationibus, unde oriuntur febres, cum aliæ tum illæ, quarum adeo est immodicus ardor ut cutem consumant. Carbunculi vero, nisi ubi totum concalefecerint, non excitant febrem. Febres autem interdũ carbunculos præcedunt ut sit aliquando febris paßio, interdum casus partis alicuius quæ bubone vel carbunculo laborat.

Variata deinde intemperie calidiore sicci- oreq; prædicta & aliquoties ob frigidos ventos et similem constitutionem, glacie, pruinis aut nivibus in mense Martio apparentibus, unaq; cum nigris exanthematibus bubones aut carbunculi non raro repullularunt, atq; deinceps modo in tumores modo exanthemata abierunt, interdum etiam utrumque visum est: mutatis scilicet aëris qualitatibus, & simul cum eis humoribus ipsis, quo ad craßitiem aut tenuitatem, sicuti etiam ab Aprilis novilunio mitior evasit pestis sævitia: quia temperatior in manifestis qualitatibus cæli status succeßit.

Quibus præfatis amplius quæritur, qua via & ingenio præsentib, & futuris eventib. sit pro-

spici-

ſpiciendũ. Et primo quod ad quadragenas appellatas attinet, cum aliquando laxatis (ut ita dixerim) habenis, ex congreßibus nullum notatu dignum ſanitatis damnum ſecutum fuerit, & ex cohibito liberiore cælo non parum offenſa fuerit viventium ſalus, hac de cauſſa ſecurius indicandum videtur de liberanda aut ſaltem moderanda tam arcta exquiſitaq; continentia. Etſi enim tale remedii genus ſummo quandoq; cum conſilio fuerit indictum, quod contagii propagationem valde potuerit arcere, nunc tamen diuturna aëris liberioris interdictio poteſt multa morborũ genera atq; etiam peſtem ipſam producere. Ideo tam longa aëris anguſtia aut liberanda prorſus aut ſaltem intra alios nunc convenientiores fines eã moderari non ab re videretur.

Quia vero hodie ipſa peſtis magna ex parte ab infecta ſupellectile contrahitur, præſtantiß. erit conſilium omni diligentia huic cauſſæ occurrere. Quæritur quoque, quæ ratio ſit adhibenda circa familias morientium peſte, an videlicet ſtatim conduci debeant ad D. Gregorii Xenodochium, an permittendæ in propriis ædibus. Alterum enim familiæ illi videtur ærumnoſum, ne dicam impium, cum interdum contingat, ſupra primum defunctum nullum alium periclitari aut peſte affici: alterum vero publico bono ſit damnoſum, ob periculum, ne cæteri familiares aut contubernales, aut etiam vicini inficiantur.

tur. Quod igitur in hac re per illustrem Magistratum universi status sanitatis præfectum alias rite sancitum fuit, nunc quoque comprobandum videtur, ut scilicet, nisi incerta ex peste sit mors, domi tamdiu reliqua familia detineatur, quoad successus declaret, an ille mortuus, peste sublatus fuerit nec ne, ut geminata morte (quod Deus avertat, postea firmo consilio ad constituta loca residuum familiæ traducatur & serpenti peste occurratur.

Cum præterea corporibus repletis aut insalubribus ac valetudinariis facilius pestis supervenire posset, opt. ideo erit consilium, præveniendo ipsam cacochymiam opportunis medicamentis expurgare, aut etiam sanguinem caute detrahere, quo minus humorum sarcina, quæ recte a natura regi nequeat, disponat ad pestem, victu nihilominus probe instituto, cuius congruam rationem præterito tempore obfuisse animadversum est.

Cumque putredo insignis pesti necessario copuletur, medicamentis exiccantibus & antidotis cor et spiritus tuentibus utendum: a calidioribus vero in calidiore tempore aut omnino abstinentes aut certe temperantes, munditiem vestium et habitationũ non contemnentes, nam spurcities putredinem gignit, et pestem accersit.

SVMMI DEI ante omnia justam ob peccata nostra iram convenienti pœnitentia placantes.

DE

DE RECTA ET NECESSARIA RATIONE,

PRAESERVANDI A PESTIS CONTAGIO tam imminente quàm exoriente loca quælibet, brevis & diligens meditatio Ioachimi Camerarii Medici Noribergensis.

PRæclare admodum hoc etiam, protulit ut reliqua ſua omnia, Hippocrates, Medicorum & philoſophorum princeps, 1.lib. prognoſt. τὸν ἰητρὸν *(inquiens)* δοκέει μοι ἄριστον εἶναι πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν, *id eſt, optimum mihi videtur Medicum providentiæ operam dare. Quod quantam laudem mereatur, & quàm multum in eo ad* προφυλακτικὴν *inprimis Artis Medicæ partem bene & utiliter exercendam, poſitum ſit, tum alii præſtantiſſ. Medici, tum inprimis ipſe Hippocrates ſuis ſaluberrimis actionibus atque exemplis abunde oſtenderunt. Legitur enim apud Plinium, Hipp. prædixiſſe ab Illyriis venientem peſtem in Græciam, & diſcipulos ad auxiliandum eam ob cauſſam circa urbes dimiſiſſe, atque propter hoc ipſius meritum honores illi ſimiles Herculi decreviſſe patriam. Idem ſumma cum gloria præſtite-*

ſtiterunt erga ſuam patriam, Thales, Empedocles, Acron Agrigentinus atque alii plurimi, & hiſce temporibus quoque Medici doctißimi & perſpicaciß. ſimiliter bene de ſuis civibus mereri non deſtiterunt. Quæ quidem cum ita ſeſe habeant, non tamen minore etiam laude digni ſunt principes, & alii Magiſtratus, qui temporibus periculoſis autoritate ſua publica & aſſidua vigilantia, nullis parcentes ſumtibus vel impenſis, nullos detrectantes labores, hoc unum agere conantur, ut recte monentibus Medicis, & ſalutaribus eorum conſiliis atque admonitionibus ſtatim, ac quidem in tempore locum concedant, atque in hoc uno totis viribus incumbant, quo a tam dira & pernicioſa lue (ante omnia adjuvante Deo æterno) ſuos limites quàm optime & diligentißime cuſtodire, atque procul ab illis hoc malum ſævißimum tanquam potentißimum hoſtem potius arcere, quàm ſemel admiſſum non ſine ingenti difficultate inde rurſum depellere poßint. Cum (ut paucis verbis poëtæ verſum immutemus) verißimum ſit quod dicitur,

Aegrius ejicitur quàm non admittitur hoſtis.

Quapropter ut ego quoque pro ingenii mei captu atque tenuitate aliquid hiſce temporibus,

bus, quibus paßim apud nos contagia peſtifera exerere ſeſe incipiunt, in medium proferam, quo Reipublicæ inprimis noſtræ conatum & ſtudium meum qualecunque illi obnixe inſerviendi oſtendam atque probem, dedi operam, ut totum hoc negocium in certa quædam & brevia capita ordine redigerem, idq́; eo majore diligentia mihi tentandum eſſe putavi, quo video curationem huius mali, vel potius flagelli cælitus ob flagitia hominum immißi, eſſe difficiliorem, aut etiam, ſecundum doctiß. quorundam Medicorum noſtri ſæculi ſententiam, ita incertam & dubiam, (ubi nimirum morbus jam altius radices egerit) ut remedium proprium atque peculiare ferè nullum adhuc ſit contra ipſum repertum.

Quod etiam veterum nonnulli perſpexerunt, nam Petus in Epiſtola, quæ legitur inter ſcripta Hippocratis, ad Artaxerxem aſſerit, τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύειν τὴν ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους, *id eſt. Auxilia naturalia non ſolvere morbi peſtilentis publicam invaſionem. Idemque Lucretius in iſta horribili peſte Athenienſi accidiſſe teſtatur, ubi dicit,*

Nec ratio remedii communis certa dabatur.

Vt

Vt autem priscis temporibus ex universali aëris vitio vel secundum substantiam suam, vel qualitatum excessum nimium vitiati atque corrupti, aliisque de caussis pestis ita nonnunquam vehementer grassata fuit, ut secundum fide dignos historiarum scriptores aliquando etiam dimidiam propemodum partem mortalium in pluribus regionibus misere abstulerit: ita nostris diebus ut plurimum ex contagiis, quæ ex aliis infectis locis per certa quædam seminaria detenta in variis mercibus, vestibus, aliaq; supellectile ad ea suscipienda apta nata, vel etiam per ipsos homines infectos pro ratione maioris ac maioris subtilitatis ac venenositatis interdum celerius interdum tardius aliis communicari solent, pestilentem luem generari, aëre neutiquam depravato, observamus. Quæ quidem illius species adveniens aliunde sive Advena a nobis dicetur, atque bifariam considerari poterit. Aut enim ex vicinis locis infectis facile serpit ad proxima adhuc intacta, quæ Imminens vocatur, aut forte unum atque alterum jam corripuit, eaque Exoriens appellabitur. De quo duplici contagio pestifero tanquam de eo, cui sæpenumero singulari magistratus cura & attentione initio recte occursum sit, aut si qua illius seminaria debilia extitere, ea celeriter extincta fuerint, sermo nunc a nobis instituetur.

Quam-

Quamprimum itaque ex locis propinquis, vel etiam paulo remotioribus de pestilente lue istic grassante certiores facti fuerimus, non amplius cunctandum erit, (periculum enim si uspiam alibi, certe hic summum est in mora) sed quantum omnino fieri potest, atque humana præsidia permittunt, inprimis universis illis, quæ Christiana pietas subjicit atque requirit, rite atque religiose peractis, (de quo verbosius agere huius non est loci, & rectius ab aliis docetur) rebus omnibus necessariis summo studio erit prospiciendum. Quod quidem ut ordine atque expedite magis suscipi queat, tria potiss. erunt consideranda, primum homines nimirum, hi enim periti atque solertes admodum eligendi, qui suo officio bene atque diligenter fungantur. Secundum: Loca idonea præparanda, & in promtu habenda, in quibus suspecti, infecti, atque etiam convalescentes seorsim quam commodißime vivere queant. Tertium. Rebus etiam aliis omnibus, quæ ad hoc negocium pertinent, sedulo erit & abunde prospiciendum.

Quantum itaque ad homines attinet, Magistratus creari solet ex illorum numero, qui pietate, amore in patriam & præcipue erga pauperes, prudentia, & usu rerum multiplici præditi sint, quos publicæ salubritatis vel sanitatis moderatores, præsides sive præfectos nominare consueverunt, & in Italia, ubi dignitas

horum

horum est eximia & autoritas singularis, vulgo officium sanitatis vocant. Eorum numerus pro ratione loci, & hominum multitudine instituitur, raro tamen minor est ternario, nec tamen sæpe excedit septenarium. In his sunt quoque Medici duo vel saltem unus, ut, ubi opus est, de rebus proprie ad Artem atque professionem eorum spectantibus alios admonere poßint. Hic Magistratus autoritate publica omnia, quæ ad hoc negocium tam salutare pertinent, administrat, in hoc unum omnes cogitationes intendens, ut, Dei opt. max. auxilio, contagia externa & imminentia quàm longißime arceat atque impediat, aut si illius aliqua initia apparuerint, quamprimum convenientibus remediis extinguantur. Quo in loco præceptum istud vulgare potiß. est observandum, principiis obsta: & quantum negligentia etiam exigua hac in parte sæpenumero detrimentum atque etiam exitium attulerit universis provinciis atque urbibus pluribus, quotidiana experientia satis indicat. Quare etiam Italicum proverbium argutum, & utilem continens admonitionem a multis commendatur eiusmodi: Piu nuoce il poco malo per la poca stima poco provista, che il molto & provisto a sufficienza, id est, Magis nocet exiguum malum propter contemtum negligentius habitum quàm magnum malum diligenter anim-

ad-

adversum & cui satis superque sit prospectum.

Statim itaque tum omnis generis homines & ministri idonei conducantur, quorum assidua & fida opera præfecti sanitatis uti ad quævis momenta queant, quorum officium cum sit cum summa molestia, & aliquando cum vitæ manifesto periculo conjunctum, sumtibus ullis non erit parcendum, sed liberalitate conveniente eorum studia excitanda. Requiruntur autem inprimis Medici, pharmacopolæ, chirurgi periti, tonsores, astantes, custodes variarum rerum, scribæ &c. Præterea tam viri quàm fœminæ ægris ministrantes, eventantes atque expurgantes res & loca suspecta vel infecta, ægrorum portatores, pollinctores, vespillones & huius sortis infimæ similes alii. Solent præterea præfecti sanitatis operam dare, ne qui ex locis infectis sine publico testimonio (ubi hoc in more positum est) vel saltem non prius examinati, publice cum aliis sine discrimine versentur, aut clam sese ingerant. Compertum etenim est Veronæ in Italia superioribus annis, a quodam clam per flumen Athesin tranatante, & in urbem penetrante, contagium urbi pestilens illatum fuisse, quod aliquot millia hominum postea absumsit, possentque plurima alia exempla, nisi brevitati studeremus, similia adduci. Quod si quispiam scienter contra fecisse convictus fuerit,

erit, pœna illi pro arbitrio Magistratus debita imponetur. Quæ quidem, ut inferius apparebit, in Italia admodum gravis, apud nos verò multo quidem moderatior esse solet.

Cum verò nec privatorum commodorum, nec publicæ utilitatis gratia consuetudine exterorum ex locis infectis advenientium omnino carere possimus, tutiss. erit loca peculiaria ad hoc destinata extra urbem eiusmodi hominibus peregrinantibus assignare, in quibus ad minimum quindecim dies, priusquam admittantur, transigant, illisque de omnibus rebus necessariis opt. prospiciatur, In merces vero & alias ipsorum res, quæ facile fomitem contagii in se recipiunt (quales autem illæ sint, paulo post expresse dicetur) pariter quoque magna diligentia inquiratur, & omnia perlustrentur, ut scilicet pura ab impuris, & integra a corruptis recte segregari atque eventari possint.

At quamvis cura atque circumspectio diligens ubique hac in parte non desit, vix tamen fieri aliter potest, quin nonnunquam præter opinionem aliquid infectorū vel hominum, vel aliarum rerum quas illi secum apportant clam sese insinuet, & inde contagium aliis communicetur, quod ubi factum fuerit, atque unus vel ad summū duo hac lue in aliqua domo mortuos esse depræhensum sit, (in quo accurato Medicorum & Chirurgorum peritorum judicio initen-

nitendū) ſine cunctatione reliqua familia univerſa inde in alium locum ſalubriorem transferatur, atque ſi hoc ipſum commode fieri nequeat, ſaltem ſevere aliorum hominum commercia illi interdicatur, nec aliis ſine permiſſione præfectorum ſanitatis domum iſtam ingredi liceat. Quicquid autem ad vitam ſuſtentandam, & remedia neceſſaria ad præcavendum malum tales deſideraverint, illis quovis tempore ſuppeditetur, & pauperum plane atque inopum, qui præ aliis huic calamitati ſunt expoſiti, ante omnia ratio habeatur. Idque ut ſine ulla difficultate peragi poſſit, præfecti ſanitatis catalogum indies ædium infectarum & hominum periculoſe decumbentium ſibi afferri curent. Eſtque hoc inſtitntum præterea ad hoc utile, quod hac ratione præfecti ſanitatis progreſſum mali facilius cognoſcere, atque etiam ægri citius atque rectius, tempeſtive ad ipſos miſſis tam Medicis quàm Chirurgis, curari, & hac potiſſim. via contagii vires ſtatim in principio, quemadmodum fieri neceſſe eſt, reprimi poſſint. Cum alioqui propter negligentiam multorum vel exiguam fiduciam in Medicos, aut etiam extremam inopiam atque paupertatem, contagium, nemine fere initio animadvertente, latius ſerpere, & magnas ſtrages edere ſoleat. Magnis itaque laudibus merito eſt proſequenda Magiſtratus pietas & ſolicitudo erga ſubdi-

tos paterna, ac ſummi beneficii loco habenda, qui ſtipendiis honeſtis atque liberalibus Medicos & chirurgos exercitatos, tum conductos alant, quorum aliqui etiam, ubicunque opus fuerit, pauperes quoscunque ſibi curæ eſſe patiantur, & ab illis vocati eos ſedulo & diligenter inviſere ſine ullo emolumento teneantur. Fiuntq; hoc pacto etiam omnes ſubditi ad quælibet juſſa & obſequia multo paratiores. In quibusdam locis alia inſuper conſuetudo laudabilis obſervatur, ut ſcilicet urbe diviſa, ut moris eſt, in ſuas partes, ſingulis illius regionibus præficiantur cives aliquot honeſti & probi, quorum officium eſt, inquirere atque ex ſacerdotibus, Medicis & aliis cognoſcere, an aliquid egenis & pauperibus civibus (ejectis mendicis validis & inutilibus) vel ad victum vel medicamenta uspiam deſit, illisque inſuper præbeatur Materia idonea ſecundum Medicorum præſcripta, ad ignes odoratos, fumos & ſimilia quotidie in ædibus excitanda, nam ita in anguſtis & quaſi ſuffocatis locis, qualia plebs illa infima plærunque inhabitare ſolet, mali vapores & exhalationes venenatæ facilius conſumi poterunt, & reddentur ea indies magis perſpirabilia atque ſalubriora, ſi præſertim accedat inſuper aliqua mundicies, cui prius non multum operæ homines iſti impendebant. Poſſent huius generis plura ad noſtrum inſtitutum facientia hic afferri, ſed

quia

quia inferius quoque nonnulla exponentur, & alibi de illis tractatum eſt, non putavimus ea hic quoque eſſe repetenda. Hæc igitur quantum ad homines dicta ſatis ſint.

Sequitur alterum caput, quod verſatur circa diligentem locorum conſiderationem: quæ, ſi fieri poteſt, eligantur extra urbem, vel ſi intra urbem conſtituta ſint, erunt remotiora ab hominib. ac ſeparata ab ædibus aliorum. Hæc ædificia plura vel pauciora pro ratione multitudinis & aliarum rerum eſſe ſolent. Reſpiciant Septentrionem potiſſ. vel Ortum, atque aër ſit frigidior atque ſiccior quàm alibi: ſintque in loco editiore ſita, ut ab omnibus ſordibus & fætorib. libera ſint. Quod ſi fons perennis, rivulus aut fluvius quoq; aſſit, eo melius. In his ædificiis plura ſint conclavia & cubicula, ut viri a fœminis, infecti a ſuſpectis, & ſuſpecti a convaleſcentibus recte & cum aliqua commoditate poſſint ſeparari. Reliquis etiam præfectis, Medicis & Chirurgis atque miniſtris tales habitationes aſſignentur, in quibus minimo cum periculo verſari queant. Cavendum autem ſummopere, ne quis error hac in parte, qui ſæpe multis fuit perniciofus, committatur. Quantum itaq; primum ad infectos, de quibus nulla eſt dubitatio, quòd peſte ſint correpti, attinet, pro multitudine eorum, conclavium quoque numerus inſtituendus erit. In quibusdam enim collocandi qui

adhuc graviter cum morbo luctantur, & quorum adhuc ſalus plane eſt dubia, ab his vero peculiaria conclavia requirunt illi, in quibus jam malum ad declinationem vergit, & febri propemodum carent, quamvis bubones aut carbunculi (ſi qui extent) nondum plane ſint ſanati. Qui ſi toto tempore decubitus cum illis degerent, qui febre adhuc gravi tenentur, & in princpiio vel ſtatu morbi hærent, periculum eſſet, ne levi de cauſſa rurſum propter vicini contagii inquinamenta malum in illis recrudeſceret, & ſic in novum morbum inciderent. Convaleſcentes jam & qui extra periculum eſſe videntur, pariter a prioribus ſeorſim collocare oportet, atque etiam, ſi fieri poteſt, peculiares ædes illis aßignandæ ſunt, quibus etiam ante diem quadrageſimum cum aliis hominibus commercium nullum eſt permittendum. Idem quoque de ſuſpectis ſed nondum ægrotantibus ſit judicium. Quod ſi ex his alterutris intra hoc tempus rurſum periculoſe aliquos decumbere contingat, ſine mora ad ægros iterum transferantur. Præterea magna opus eſt cautione, ne ſtatim ac ſine diſcrimine ac diligenti inquiſitione omnis generis homines tempore peſtis male ſe habentes ad iſta loca Noſocomiorum deferantur, ideoque ſi quæ hac in parte dubitatio incidit, Medicorum atque Chirurgorum examini prius eiusmodi ægri ſunt ſubjiciendis.

di. Constat enim sæpius nonnullos propter nimiam consternationem aut vehementem imaginationem, aut corporis quampiam aliam præparationem, etsi morbo levi aliquo & minimè contagioso tantum laboraverint, delatos ad talia loca infectorum, hac lue statim esse correptos, qui, si absque hoc fuisset, procul dubio facile pristinæ valetudini restitui potuissent. Tempore autem pestilenti quàm levi de caussa, atq; exigua corporis præparatione accedente morbi minus etiam periculosi alioqui, in peßimam naturam degenerent, non solum Medici doctißimi longa experientia observarunt, sed Thucydides quoque in illa insigni peste Atheniensi, quam ut αὐτόπτης descripsit accuratißime in 2. suæ historiæ libro satis clare ostendit.

Cum vero fieri nequeat, neque etiam conveniat, ut omnes indifferenter hoc malo correpti ad ista loca valetudinaria sive Nosocomia deferantur, atque ideo plurimos in privatis ædibus commorari necesse sit admonendi universi quoque sunt diligenter, ut, si res ipsorum ita ferat, tempestive ad futuros casus conclavia & cubicula cum omnibus rebus necessariis instructa, quæ quàm maxime ab aliorum consuetudine remotiora, atque etiam perspirabilia sint, seligant, atque in hunc usum sibi reservent.

Postremo hoc etiam observandum est, ut si quæ loca in privatis civium ædibus lue hac fue-

rint infecta, atq; ab aliis deserta, ne illa relinquantur plane diutius occlusa & quasi ab omni aëre suffocata, sed a certis ad hoc officium destinatis hominibus sæpius aperiantur, & ventis potiss. Septentrionalib. liberius ea perflari sinantur. Alioqui sæpe accidere solet, ut qui ex illis domibus contagii caussa diu abfuerint, atq; illas rursum incolere postea cæperint, propter eventationem omissam, rursum deinde aliquid contagii hauserint. Plurimum igitur in eo situm est, & in præservatione non postremum locum sibi vendicat, ut diligens admodum ædium, & rerum aliarum infectarum expurgatio semper instituatur. De qua re cum alii plures Medici, tum inprimis Alexander Massaria Medicus Vicentinus doctrina & usu Artis celebris in 2. suo libro de peste plenissime scripserit, ipsius etiam verba hic ascribenda esse putavi, quorum hæc est sententia.

Nunc particulatim, quam opportuniorem & securiorem purgandarum rerum & ædium rationem esse nos existimamus, hic demum subjicere statuimus. Siquidem in pestilentia ex contagio, qualem hanc nostram fuisse non dubitamus, satis compertum est hanc rem maximi esse momenti, atque in huiusmodi munere potiorem quasi illius tum præservandæ tum curandæ partem consistere.

Vespillones & qui in huiusmodi opere versari

sari solent, certis quibusdam suis perfusionibus, lotionibus, suffitibus, ex thure, myrrha, pice, sulphure, resina, bitumine, lapide gagate & aliis id genus magna ex parte fœtidis medicamentis tum domos tum supellectiles infectas purgare consueverunt. Quæ certe purgandi ratio non solum vulgo, sed etiam a doctis hominibus recepta, ac longiore jam usu confirmata non debet improbari. Ego vero magis accommodate atq; ex veterum disciplina unis medicamentis odoratis illud præstari censeo: quandoquidem Hippocratem magnũ legimus (quod antea quoque notavimus) aërem pestilentem Athenis puriorem effecisse, ac pestiferos quosque halitus dissipasse igne passim accenso, qui non solum ex simplici materia constaret, sed bene olentes coronas, & flores haberet, atq; unguenta quàm pinguissima, & id genus alia bonum odorem fundentia. Atque hic profecto modus purgationis valde rationi videtur consentire: cum enim satis constet fomites pestilentes, sive in aëre, sive ubicunque illi reperiantur, esse procul dubio sordidos & putridos, tantum abest ut fœtida & male olentia sorditiem & putredinem tollere, ut contra utramque magis fovere & augere posse videantur. Siquidem nemo est qui nesciat (quod particulatim animadvertit Avicenna 2. primi: doctri. 2. cap. 29.) quàm fœtidi odores sint contrarii et adversarii,

atque hoſtes caloris innati, ſpiritus & membrorum principum, quamq; illi fere proxime accedant ad putredinem. Quare eruditi omnes Medici tum præſervando tum curando a rebus omnibus fœtidis & male olentibus ſtudioſe cavendum eſſe docent, & ſpeciatim admonent abſtinendum eſſe a lignis, quæ igni impoſita tetros & fœtentes huiusmodi vapores ſolent emittere, qualia ſunt ficus, nuces, buxi, & ſimilia. Vnde neque illorum ſententiam probare poſſumus, quod priore libro admonuimus, qui ad præcavendam peſtilentiam caſtorium, ſulphur, & eiusmodi fœtida ſecum ferre, geſtare, ac familiariter odorare ſolent, quæ tantum abeſt ut aërem puriorem reddant, & ſpiritus recreent, quod hac in re eſt maxime expetendum, ut magis utrumq; perturbent & contaminent. Quam igitur peſtilentis purgationis rationem magis accommodatam tutamque & veteri diſciplinæ magis conſentientem eſſe nos arbitramur, breviter explicare non gravabimur. Quod itaque ad infectas domos pertinet, illas potiſs. emundari & purgari cenſeo, ſi primum diligenter amota omni ſorditie, patentibus undique locis omnibus aëri, ventis & Soli diutius illæ die noctuque ſint expoſitæ. Tum vero ſi ſuffitibus, lotionibus, perfuſionibus odoratis, de quibus antea diximus, inprimis autem igne aſſiduo, atq; eo quidem ex lignis aut præterea etiam medicamentis

mentis bene olentibus foveantur. Hac enim simplici & facili ratione pestilentes quoscunque vapores & fomites quocunque in loco dissipari, ac dissolvi non dubitamus. Quod si quis aliud efficacius præsidiũ desiderat, inter cætera omnia, quæ passim afferri & usurpari solent, nullum mea quidem sententia præstantius & securius excogitari potest, quàm si calx viva in infectis cubiculis multa aqua madeat, & illa deinceps parietes & singulæ partes obliniantur: quandoquidem partim fumo illo acerrimo, partim obducta calce non solum verisimile est, sed etiam necessarium, ut quicunque tandem, & quanticunque pestilentiæ fomites dissipentur, & ad nihilum deducantur: id quod apud nos longiori jam et certa experientia confirmatum est.

Maius profecto ac difficilius negocium facessunt res & universa supellex. Atque illud ante omnia sæpe, diuque disputatum est, an expediat omnia protinus igne consumere. Hinc enim certo est certius nulla securiori ratione quamcunque pestilentiæ sobolem facile & semel dissipari, adeoque ab imminenti periculo Rempub. liberari: inde vero præterquam quod sine ingenti rei familiaris jactura, & effuso sumtu hoc fieri non potest, aliud insuper grave accedit periculum, & ferè certa suspicio, ne plærique omnes jacturam tantam iniquo animo ferentes, multas res malitiose abscondant, atque

huc illuc distrahant: quo quidem nullum magis evidens periculum, & ad longe lateq; propagandam pestem magis accommodatum instrumentum excogitari potest. Qua in re in eam ego facile sententiam devenio, quo tempore lues incipit, neque multi jam laborant, nullum prudentius & utilius consilium iniri posse, quàm si protinus omni adhibita diligentia severe omnia comburantur, sed ita quidem ut ex autoritate Magistratus inopes & miseri homines quocunque damno & jactura liberaliter & pie resarciantur: quandoquidem si ita fiat, nullum jam periculum potest imminere, ut illi quicquam occultent vel distrahant, immo vero ipsi sponte & hilare omne offerent, ut ita res ab omni periculo prorsus sit aliena. Atq; utinam mensis Augusti initio, anno hoc 76. quo tempore paucis quibusdam & iis certe humilib. miserisq; domib. infectis, adhuc res fere erat integra (de qua deliberatione coram summo magistratu & magna civium corona graviter actũ est) patria mea Vicentia prudentiss. ac saluberrimũ huiusmodi consilium suscepisset, forte .n. radicitus malũ semel fuisset evulsum, neq; tot deinceps homines misere interiissent, neq; civitas tantã publici privatiq; æris jacturã fecisset. Sed divinæ voluntati pvidentiæq; acquiescendũ est.

At vero si altiores mali radices jactæ sint. & lues sit grandior atq; vehementior, ut plurimæ

mæ jam domus ſint infectæ, tum non amplius igni & comburendis reb. omnibus locum ſupereſſe nos arbitramur, non modo propter notabilem ac propemodũ infinitam rei familiaris jacturam, & ſumtus mirum in modum effuſos, ſed etiam quod vix & non ſine multiplici periculo alia præſto eſſe poßint, quæ ad huiusmodi uſum ſunt neceſſaria. Itaq; hoc tempore aggrediẽda omnino rerum infectarum expurgatio eſt, præparatis primum locis ac domib. operi accommodatis, fidisq; adhibitis miniſtris, ut ſi fieri poteſt, longe abſit omnis dolus & impoſtura. Primum autem intelligere oportet, quænam illa ſint, quæ peſtilenti labi ſint obnoxia, adeoq; purgatione opus habeant. Namq; hac in re noſtri veſpillones aut verius nebulones impudentißimi, non ſolum ſuperſtitioſe, ſed etiam malitioſe nobis imponere, atq; omnia perturbare & contaminare ſolent. Quod quidem una quam max. experientia determinandum ac ſtatuendum eſſe videtur. Etenim quanquam neq; deeſſe poteſt aliqua ratio, quæ hoc ipſum demonſtret, cum videamus contagium communicari iis corporib. tantum, quæ quadam meatuum varietate aërem excipere poſſunt, ex iis tamen plurima, qualia potißimum ſunt alimenta ad ſuſtentandam vitam hominis deſtinata, licet rariora & ad recipiendũ aërem idonea, certum eſt nullius contagii eſſe capacia.

Itaque res quæ facile & omnium maxime peſtiferam labem tum ſuſcipere, tum aliis com-

mu-

huc illuc distrahant: quo quidem nullum magis evidens periculum, & ad longe lateq; propagandam pestem magis accommodatum instrumentum excogitari potest. Qua in re in eam ego facile sententiam devenio, quo tempore lues incipit, neque multi jam laborant, nullum prudentius & utilius consilium iniri posse, quàm si protinus omni adhibita diligentia severe omnia comburantur, sed ita quidem ut ex autoritate Magistratus inopes & miseri homines quocunque damno & jactura liberaliter & pie resarciantur: quandoquidem si ita fiat, nullum jam periculum potest imminere, ut illi quicquam occultent vel distrahant, immo vero ipsi sponte & hilare omne offerent, ut ita res ab omni periculo prorsus sit aliena. Atq; utinam mensis Augusti initio, anno hoc 76. quo tempore paucis quibusdam & iis certe humilib. miserisq; domib. infectis, adhuc res fere erat integra (de qua deliberatione coram summo magistratu & magna civium corona graviter actũ est) patria mea Vicentia prudentiß. ac saluberrimũ huiusmodi consilium suscepißet, forte.n. radicitus malũ semel fuisset evulsum, neq; tot deinceps homines misere interiissent, neq; civitas tantã publici privatiq; æris jacturã fecisset. Sed divinæ voluntati ꝓvidentiæq; acquiescendũ est.

At vero si altiores mali radices jactæ sint, & lues sit grandior atq; vehementior, ut plurimæ

mæ jam domus ſint infectæ, tum non amplius igni & comburendis reb. omnibus locum ſupereſſe nos arbitramur, non modo propter notabilem ac propemodũ infinitam rei familiaris jacturam, & ſumtus mirum in modum effuſos, ſed etiam quod vix & non ſine multiplici periculo alia præſto eſſe poßint, quæ ad huiusmodi uſum ſunt neceſſaria. Itaq; hoc tempore aggrediẽda omnino rerum infectarum expurgatio eſt, præparatis primum locis ac domib. operi accommodatis, fidisq; adhibitis miniſtris, ut ſi fieri poteſt, longe abſit omnis dolus & impoſtura. Primum autem intelligere oportet, quænam illa ſint, quæ peſtilenti labi ſint obnoxia, adeoq; purgatione opus habeant. Namq; hac in re noſtri veſpillónes aut verius nebulones impudentißimi, non ſolum ſuperſtitioſe, ſed etiam malitioſe nobis imponere, atq; omnia perturbare & contaminare ſolent. Quod quidem una quam max. experientia determinandum ac ſtatuendum eſſe videtur. Etenim quanquam neq; deeſſe poteſt aliqua ratio, quæ hoc ipſum demonſtret, cum videamus contagium communicari iis corporib. tantum, quæ quadam meatuum varietate aërem excipere poſſunt, ex iis tamen plurima, qualia potißimum ſunt alimenta ad ſuſtentandam vitam hominis deſtinata, licet rariora & ad recipiendũ aërem idonea, certum eſt nullius contagii eſſe capacia.

Itaque res quæ facile & omnium maxime peſtiferam labem tum ſuſcipere, tum aliis communi-

municare ſolent, illæ enumerantur: Lana, Xylon, ſive goſsypium, linum, cannabis, ſericum, omnis tela & quæcunque ex iis aliqua ratione & quocunq; modo confici poſſunt, pelles, plumæ, & pennæ omnes, & alia quæ ſunt huius generis. Porro quæ viva & currenti aqua imponi, in eaque diutius conſervari, vel adhuc magis, quæ communi lixivio, aut præter cinerem, addito alumine aut etiam calce viva lavari & mundari poſſunt, iſthæc omnia tuto, facile ac breviter una vel ad ſummũ altera lotione præclare expurgari videntur. Quæ autem aqua mergi & lixivio lavari non patiuntur, qualia præcipue ſunt ſericum & ex ſerico tela contexta. multa etiam ex lana, pelles, & alia huius generis, hæc diutius aëri ac ventis, ac potiſs. Aquiloni expoſita, aſsidua & diligenti motione, agitatione, fuſtigatione & abſterſione vel etiam teſtimonio Galeni 3. Epidem. 3. cap. 1. teſtimonio perfecte mundari & ab omni putredinis & contagionis periculo liberari cenſeo. Quod ſi præterea aliqua etiam ratione illa ſuffire velis, non certe reb. male olentib. ut vulgo fieri ſolet, ſed magis odoratis, de quibus alias ſatis diximus, illud profecto importune fieri cenſendum non eſt. Nonnulli telas ſericas, pelles nobiliores & alia eiusmodi ſabulo & arena tenuiori cooperire undiq;, atq;, ut audio, non infeliciter diutius fovere conſueverunt. Sed ut ſemel di-

cam

cam quod ſentio, cæteris omnibus purgationibus illam ego rationem facile antepono, ſi res infectæ, quæ aqua & lixivio mundari nequeunt, ut diximus, Soli, aëri, ventis diutius exponantur, atq; omni adhibito ſtudio ſæpe agitentur & concutiantur, & ab omni ſorde mundentur. Quo demum loco id præteriiſſe nolo, veſpillones temere & malitioſe ſupellectiles perpetuo tanquam univerſas contaminatas purgationi ſubjicere: Si enim accidat (accidit autem ſæpiſſime) ut ſive ſtudio ſive ſorte quiſpiam in certo cubiculo habitans inficiatur, multisq; antea diebus alias partes domus & ſupellectilem alibi poſitam & accurate obſignatam ne viderit quidem, quis jure dubitet cætera omnia cubicula, & res univerſas in eis aſſervatas eſſe ab omni labis ſuſpicione liberas, & nulla expurgatione opus habere? Cæterum præter hæc, quæ modo poſita ſunt, quæcunq; alia ſupellectilis nomine comprehendi, aut alioqui ad communem uſum familiariter adhiberi ſolent, ea fere nullum peſtilens virus ſuscipere & ab omni contagii ratione libera eſſe nos exiſtimamus: qualia ſunt metalla omnia & quæcunq; effici ex eis atque formari ſolent, lapides quicunq;, nec non vaſa omnia ex terra confecta, grana uſui hominum & beſtiarum deſtinata, triticum, far, hordeum, milium, panicum, ſpelta, faba, cicer, piſum, oriza & cætera huiusmodi: fructus omnis generis,

vis, pira, poma, citonia, granata, nuces, avellanæ, pistacea, amygdala, fici, uvæ & alia multa huius generis: carnes tum crudæ tum coctæ, tum recentes tum salitæ, vinum, aqua, oleum, acetum: quibus demum addere licet aromata, & medicamenta tum simplicia tum composita, quæ quod multa sint & fere infinita, longiori catalogo non sunt commemoranda. Vt facile homines intelligere poßint, non solum superstitiose & frustra, sed etiam temere & sine ulla ratione res plurimas sæpenumero perturbari & confundi, quas nulla purgatione & correctione opus habere certum est. Plærique hoc in loco satis curiose quærunt, quodnam describendum sit determinatum temporis spatium, quo tum ædes tum aliæ res expurgatæ poßint in pristinum usum revocari. Qua in re mirum est, quàm varia, quàm ab omni ratione aliena recitentur atque statuantur, ut non desint, qui ad septimum annum huiusmodi judicium protrahant, plurimi sexagesimum & quadragesimum diem terminum statuunt. Hæc mea est sententia, si quàm optime & diligentiß. res quælibet aut domus expurgentur atque emundentur, eo quo nos diximus modo, tum breviore fortasse tempore, tum vigesimo certe aut vigesimo quinto die illas fore ab omni periculo alienas. Quod si quis in re incerta, & quæ sola experientia nititur, tutiores partes, atque communiorem medico-

dico-

dicorũ opinionem sequi maluerit, is potest quadraginta dierum spacio esse contentus. Hic prudens & sciens multa prætereo, quæ tum diuturno usu jam omnibus sunt in promtu, tum ex historiis, quæ nos initio retulimus, satis unicuique possunt esse comperta: peregrinos scilicet homines a locis infectis ad nos venientes severe esse arcendos, ipsa vero jam pestis suspicione propius accedente, potiorem rei domesticæ partem esse aut in tutiorem locum asportandam, aut certe proprio earundemmet ædium loco occludendam: urbem ab omni cœno & immunditie penitus expurgandam, atq; omni tum difficultate tum pravitate annonæ liberandam: ægrotos una cum infecta supellectile extra civitatem mittendos, & si quæ alia sunt id genus. Neque enim mens nostra est facilia ista & vulgata longius persequi. Non equidem prætereo consilium sequestrandæ urbis aut alterius loci male affecti, si commode id fieri queat, quod in omni pestilentia, quæ ex sola contagione oriatur, tum saluberrimum tum necessarium esse nos existimamus: id quod Vincentiæ, Mediolani & aliis in locis, ut audio, inprimis confirmavit experientia: & si alibi minorem opem & auxilium præstitisse compertum est, illud forte aut incuria aut dolo hominum, aut annona deficiente, aut ædibus huic usui non satis accommodatis, aut alia de caussa factum fuisse existimandum est.

Atq;

Atque ego plane sum nescius, an alia opportunior & verior tanti mali auferendi ratio inveniri aut excogitari potuerit. Sic apud Hippocratem legimus 6. Epidem. sectione 7. in principio, in quadam pestilentia eos, qui domo se continebant, aut non fuisse contaminatos, aut leniter, unde scriptum reliquit, mulieres nobiles domo non exeuntes minime laborasse, contra ancillas, quæ prodirent crebrius in publicum, fuisse male affectas. Quanquam .n. propter aëris vitium id maxime evenisse ille docet, quod quicunque se domi continerent, non ita sese aëri exponerent, quod in præsentia periculum non imminet, non est tamen, quin alias rationes præterea nos addere poßimus. Quandoquidē homines domo non exeuntes non ita se defatigant, neque incalescunt, forte etiam magis utuntur accurata vivendi ratione, sed inprimis a cœtu hominum abstinentes, ut omnem contagii atque adeo totius mali caussam declinent necesse est, ut Hector de Feramuschis I. C. nobiliß. qui singulari in patriam caritate toto hoc tristiß. pestilentiæ tempore publicum munus constanti animo sustinuit, graviter dicere soleat, si forte accidat (quod Deus opt. & misericors avertat) ut huiusmodi iterum calamitas nos aggrediatur, cæteris fere posthabitis humanis consiliis, iis duntaxat duobus præsidiis publicæ & privatæ saluti consulendum esse: altero ut omnes quibuscunque

cunque

cunque exeundi facultas conceditur, protinus urbe exeant, reliquo, ut quicunque exire nequeunt, sine ulla cunctatione sequestrentur & omnis commercio locus auferatur.

Atque huc usque doctißimus Massaria. Quæ vero in Italia quoque prudentißime a Venetis & aliis publice insuper hac in parte fuerint proposita, atque ordinata, post alias constitutiones & leges a nobis collectas inferius exponentur.

Reliquum est tertium caput, nimirum consideratio rerum omnium, quæ hominibus atque locis istis, de quibus diximus, inservire possunt. De quibus tantum in genere loquemur, nam omnium particulatim meminisse & nimis longum & laboriosum admodum foret. Consistunt autem hæc inprimis in ratione victus tam ægris quàm convalescentib. idonea, & reliquis omnibus, quæ commoditatē non exiguam miseris tum ægrotantibus afferre solent. Laborantibus gratum est, (inquit Hipp. 6. Epidemiorum Commentar. 4. textu 8.) ut munde parentur poculenta & esculenta omnia. Vestes & alia infectorum supellex seorsim in loco perspirabili rursum eventententur, atque si fieri potest pristinæ integritati restituantur.

Quod si eiusmodi alia occurrant, (ut sæpe fieri solet) quæ in locis occlusis atque humidis diu fuêre recondita, atque ita inquinata sint,

 ut

ut nulla ratione reſtitui etiam longo tempore poßint, eorum, ut ita dicam, peculiaris Theriaca habetur ignis, quare optimum erit, ne inde malũ ſerpat longius, ut ea omnia ſtatim crementur, atq; egenis atq; pauperibus, quorum res alioqui non ſunt adeo magni precii, a Magiſtratu precium illorum publico ære reſtituatur.

Verum de his & aliis cum deinceps non pauca quoq; dicantur plura hoc loco monenda eſſe non exiſtimavimus. Ex his autem ſequentibus conſtitutionibus & legibus, tempore peſtis Venetiis & alibi propoſitis, & a nobis in Epitomen quaſi redactis, quæ apud nos ita exquiſite in omnibus propter multas cauſſas obſervari non poſſunt, aſſumi atque ſelegi pro uniuscuiusq; loci ratione & conditione hominum noſtrorũ meliora & utiliora poterunt, recordantes Hippocraticæ ſententiæ, brevem quidem ſed prudentiæ plenam admonitionem continentis, δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τοῖς ἔθεσι. *Dandum vero aliquid quoque eſt tempori, regioni, ætati, & conſuetudini.*

CON-

CONSTITVTIONES, LEGES, ET EDICTA QVAEDAM, TEMPORE PESTIS ANno Christi 1576 & 1577 publice Venetiis & alibi proposita, atq; breviter in latinam linguam conversa, a Ioachimo Camerario D. M.

I.

ANte omnia singuli & universi sese convertant ad veram emendationem vitæ suæ depravatæ, atque pœnitentiam homine Christiano dignam, observantes præcepta divina, incumbentes piis precibus, jejuniis, eleemosynis, omnibusque aliis operibus Caritatis mutuæ, orantes Patrem omnis misericordiæ per filium Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justiss. pœnas avertere, & malum hoc tam graviter populum affligens, clementer auferre velit. Quibus rite & sine intermissione peractis alia quoque humana auxilia atque præsidia suo loco non erunt negligenda.

II.

Quicunque a locis suspectis vel infectis advenerit, teneatur decreta & statuta a præfe-

ctis sanitatis publicata diligenter observare. Si quis verò repertus fuerit, qui litteras testimonii publici falsas habuerit, aut quocunque alio modo præfectis sanitatis imponere non dubitaverit, severe, atque etiam capitaliter, si Magistratus statuerit delictum esse tam enorme, puniatur.

III.

Si quispiam ægrotare quocunque genere morbi cæperit, tum statim domestici reliqui nomen illius ad parochum istius loci deferant, nec exire spacio trium dierum ex illa domo quenquam liceat, atque interea a Medicis de periculo morbi judicium feratur. Qui contra fecerit, pœnam condemnationis ad triremes, trium tractuum chordæ, exilii vel alterius generis pro arbitrio Magistratus incurrat. Denunciatori vero libræ 300. subtiles Venetæ ex bonis delinquentium pendeantur; vel si hoc fieri nequeat, ex publico ærario. Qui vero sciens hos non indicaverit, eadem pœna afficiatur.

IIII.

Qui exierit ex ædibus jam suspectis aut notatis sub eo prætextu quasi ante infectionem earum ingressus fuerit, in jam commemoratas pœnas incurrat, pro arbitrio tamen & moderatione Magistratus.

V.

Omnibus regionibus sive vicis urbis in suas partes

partes divisis eligantur aliquot viri honesti, quorum officium sit singularum ædium sibi attributarum & omnium in illis degentium nomina habere consignata, quo facilius, ubi opus fuerit, universis succurri possit. Designati ad hoc officium quotidie domus invisent, diligenter de sanis & ægris inquirentes. Peste vero correpti ad valetudinarium infectorum vetus, quod Lazaretum antiquũ nominatur, vel alia loca ad hoc destinata deportentur. Pertinaciter resistentibus sub capitali pœna ut obediant denuncietur, quod si ne tunc quidem jussa facere velint, in illos jus vitæ & necis esto. Nondum vero infecti ex iisdem ædibus ablegentur ad valetudinarium sive Lazaretum novum, vel alium idoneum locum, aut commorentur in aliqua navi, ubi eius rei datur commoditas. Qui contumax fuerit, illi indicetur, pœnam hanc subeundam esse, ut in Lazareto veteri toto tempore grassantis pestis cogatur ministrare ægris, quod si adhuc cunctetur, illico publici ministri illum eo abducant. Supellex vero, quæ integritati restitui nequit, statim in loco ad hoc ordinato comburatur: non infecta autem, vel etiam quæ facile reparari potest, secundum mandata præfectorum sanitatis eventetur. Dent vero ministri, quibus hæc res commissa est, operam, ne sua negligentia aut procrastinatione aliquid detrimenti accipiatur.

VI.

Quicunque ante hoc tempus in suis ædibus peste correpti atque ab ea fuerunt liberati, illi nihilominus quoque sua nomina Designatis ad hoc officium viris in singulis urbis regionibus sive vicis afferant intra triduum. Atque eorum insuper supellex, quamvis convaluerint, eventari atque expurgari, pro ut moris est, debet. In illos, qui hoc facere neglexerint, pœna arbitraria animadvertetur.

VII.

Cum necessitas & præsens rerũ status omnino requirat, ut ad hoc munus publice Designatis quibusdã viris præstetur obœdientia debita, propterea autoritate Magistratus præfecti sanitatis illis tribuant atq; permittant potestatem, secundum leges in contumaces animadvertendi atq; eosdem pro arbitrio puniendi. Quod si ne tum quidem illis obtemperetur, implorare debent auxilium præfectorum Regionum urbis, aut etiam præfecti sanitatis in eo statuant, quod rectum illis esse videatur.

VIII.

Nullus Medicus, chirurgus, Tonsor, vel quivis alius vel alia, qui vel quæ existimet se habere modum, artem, arcanum quippiam curandi hunc contagiosum morbum, tentet se vel alios clam sine præfectorum sanitatis permissione, in suis ædibus curare, quocunq; modo id fiat. Delin-

quen-

quentibus mulcta pecuniaria, vel pœna carceris, exilii, triremis, aut deniq; capitis, pro delicti ratione irrogetur. Qui vero in curandis aliis suam operam offerre volunt, prius a præfectis sanitatis hoc necesse est ut impetrent, illisque monstrabitur, ubi & quo tempore aliis recte possint inservire. Si quis hæc non servaverit, atq; clam sese apud imperitam plebem insinuaverit, ab unoquoq; libere accusari poterit, illique qui eos indicabit numerabuntur libræ 200. Atque pœnæ obnoxius erit tam qui medicamenta sine permißione, contra leges incognita præbuerit, quàm qui accepit.

IX.

Visitationes quorumcunq; hominum sine discrimine ad ægrotantes plane prohibentur, neque ullus adire sine justiß. caussa eos audeat, nisi elapso isto termino, ultra quem Medici statuerint, morbū non amplius esse periculosum. Quod si domus aliqua sit sequestrata (ut vocant) vel sequestranda, unusquisq; prius impetrata venia a Designatis, eo sese ad inserviendum ægris conferre poterit, attamen & illi ipsi sint sequestrati, nec liceat rursum eos nisi secundum leges præscripto tempore inde exire atq; cum aliis versari. Frequentes pariter conventus multorum hominū in areis spaciosis, plateis, foris, atq; etiam navib. amplioribus similibusq; locis nullo modo habeantur, sub pœna arbitraria clariß. præfectorū sanitatis.

X.

Si Sacerdos, Medicus, Chirurgus aut ſimilis alius depræhenſus fuerit in ſuis teſtimoniis de morbo aut morte alicuius falſum dixiſſe, colludendo fraudulenter cum aliis, is incurret ſine excuſatione in omnes illas notas & pœnas, quæ antea ſunt indicatæ, reſervata tamen ſemper autoritate præfectorum ſanitatis integra.

XI.

Prohibetur ad tempus certum ac præfinitum, a præfectis ſanitatis, ne viri aut fœminæ privatas ſcholas domi habere poßint, aut pueros vel puellas plures una doceant, ſub pœna exilii, vel interdictione in poſterum ſcholarum, vel alia pœna arbitraria.

XII.

Nemo tentet ſordes vel alias immundicies atq; quisquilias ad angulos ædium vel alibi uspiam ad loca publica abjicere. Qui vero hoc fecerit, virgis per illam viam cedatur, vel alia pœna ſimili afficiatur. Vnusquisque etiam publicas vias ante domus, mundas teneat, & bajuli has expurgare jußi ſtatim hoc exequantur ſub prædictis pœnis. Qui vero ædes ipſas debent emundare, hoc faciant ante crepuſculum, ac pariter circa id tempus libitinarii & alii eius generis homines ſua munia expediant.

XIII.

Nullus vendere audeat publice privatim-

que

que ea quæ ad victum quotidianum necessaria sunt, jam corrupta, marcida aut putrida, quibus sine pernicie vesci nemo potest, aut alia quævis a præfectis sanitatis prohibita, sub pœna quæ Magistratui placuerit.

XIIII.

Caupones, & alii publica hospitia incolentes non recipiant ad se, vel alibi sustentent homines ociosos, ludo, potationibus vel commessationibus vacantes, nec pignora ab iis, cuiuscunque generis sint, pro potu aut cibo exigant, sub pœna gravi, qua etiam punientur isti, qui apud eos ex isto genere hominum fuerint depræhensi.

XV.

Designati ad visitationes ægrorum, custodes, & reliqui ministri aliorum caussa conducti, penitus non conversentur, comedant aut bibant, cum vespillonibus & libitinariis. Similiter illis, qui purgant res infectas, peculiaria loca, ubi vivant, designentur, & non prope cum aliis colloquantur: sub pœna exilii, condemnationis ad triremes, carceris, vel etiam capitis, pro ratione delicti perpetrati. Quod si aliqui ex his ministris publicis inter expurgandas ædes quippiam furto abstulerint, laqueo suspendantur. Non liceat quoque illos arma, cuiuscunque sint sortis, gestare, nec sese multum in januis ostentent, sed domus, in quibus versantur, clausas teneant. Habeant præterea sua crepitacula &

nolas ad crura, sicuti fœminæ mundatrices ad brachia, quo facile unusquisque abscedere longius ab ipsis obviam venientibus queat, nec ullis sint in via molesti, sub gravi pœna illis infligenda.

XVI.

Custodes a præfectis sanitatis ad loca infecta vel alia ordinati, dent operam ut domus illorum fidei commissæ diligenter atque fideliter ab eis observentur, nec illas relinquant, quamdiu aliquid rerum infectarum in illis repositum fuerit: sub pœna condemnationis ad triremes per decennium, aut durioris alicuius carceris, vel etiam capitis, pro ut delictum merebitur.

XVII.

Quod si vir aut fœmina clam penetrare, vel vi irrumpere in domos clausas propter contagium tentaverit, si vir sit, absque venia ulla per octodecim menses ad triremes condemnetur, sin fœmina, unum mensem in carcere detineatur. Delatori vero numerentur libræ quinque & nemini ille indicetur.

XVIII.

Ministri publici conducti ad deportandos ægros, vel efferendos mortuos ac sepeliendos ab egenis & pauperibus nihil plane mercedis exigant, sub pœna exilii, condemnationis ad triremes, vel etiam ultimi supplicii. Qui vero ex

illis

illis clam ſe abduxerit atque aufugerit, proſcribatur. Delatori 600. libræ dentur, vel a delinquente ſolvendæ, vel ex publico numerandæ. Quod ſi aliquid muneris acceperint, intra triduum præfectis ſanitatis hoc indicetur, idque ni fecerint, in easdem pœnas cum prioribus incurrant. Denique longam moram non trahant in illis locis, vnde infecti aut mortui ſunt efferendi, nihilque ibidem comedant, vel aliarum rerum ad ſe non pertinentium agant.

XIX.

Mendici vagabundi ocioſi atque ignavi ſub comminatione gravis pœnæ, ut ſunt carcer, triremis, & ſimiles, in nullo loco illis expreſſe prohibito ſtipem colligant, neque commorentur in pontibus aut publicis viis. Vt autem illis quibus eleemoſyna opus eſt, quoque recte ſubveniatur, parocho & Deſignatis iſtis publicarum regionum, in quibus agunt, ſua nomina conſignata tradant, & eorum quoque ratio, ut par eſt, habebitur.

XX.

Arceantur quàm longiſſime ab urbe, errones, nebulones, Cingari, ceretani, agyrtæ, circulatores, milites vagabundi vel proſcripti, præſtigiatores, ſortilegi, pſeudochimiatri et alii eius generis homines nihili, & fruges conſumere nati, ſub pœna condemnationis ad triremes. Multo adhuc minus ullo pacto cõcedatur, ut eiusmodi impoſto-

postores publice sive privatim apud alios sese medicationis caussa, ut sæpe astutissime facere solent, insinuent, vel quicquam remedii hominibus vendant, vel alia ratione, non prius examinati, obtrudant, sub eadem pœna.

XXI.

Cum sceleratos quosdam homines ex Lazaretis & aliis locis plurima furto abstulisse, & adhuc auferre sit compertum, quicunque intra sex dies coram Magistratu eos accusaverit, si accusatus fuerit e numero ministrorum publicorum qualiscunque ille sit, delatori pro remuneratione sit concessum unum ex proscriptis ab urbe, atque reliqua ditione Reipub. subjecta, atque etiam e navibus, in integrum restituere, exceptis illis, quos illustriss. Decemvirorum concilium proscripsit, atque insuper ipsi numerentur libræ 500. minores: ex facultatibus ipsius Rei vel ex publico. Quod si socius delicti alterum accusaverit, atque eum in judicio sistere voluerit, ipse quoque absolvetur a crimine, atque omnia clam habebuntur. Eodem modo remunerabuntur, qui indicabunt aliquos ex istorum pessimorum hominum consortio, qui studiose, ut aliis noceant, sparserunt, vel adhuc spargere non desinunt per urbem res contagiosas vel saltem hoc nomine suspectas, in quos, ut par est, severiss. animadvertetur. Et si minister fuerit præfectorum sanitatis accusatus, quicunque sit,

eo

eo remoto, delatori, si voluerit, locus ipsius attribuetur. Sin vero reus non fuerit ex ministris publicis, tum accusatori permittetur liberare unum ex urbe, vel aliis locis Reipub. subjectis proscriptum, modo per alias leges hoc non impediatur.

XXII.

Si quispiam intra 40. dies post huius edicti promulgationem nominaverit aliquem ex istis Veneficis, qui dicuntur unctionibus lethalibus, januas & earum ansas atque pessulos, atq; alia loca, ut hoc modo nova lue miseri homines inficerentur, illinivisse, vel etiam alios indicaverit, qui priores adjuvare, vel hoc Veneficium docere, aut illos ad se recipere soliti sunt, illi numerabuntur quingenti coronati, & insuper fas ei sit, ex proscriptis duos redimere, non obstantibus aliis legibus.

(Meminit Ascanius Centurius de Hortensiis prope finem libri quinti suarum Italicarum observationum & constitutionum de peste Mediolanensi, quæ urbem istam Anno Christi 1576 & 1577. graviter afflixit, hoc edictum ibi fuisse propositum, & unum ex illis Veneficis deprehensum atque ultimo supplicio, ut meritus fuit, affectum, ante mortem inter cætera revelasse unguentum, quo prius, ne aliæ perniciosæ unctiones quas tractabat, illi aliquid noxæ inferrent, sese munire consuevit: cuius descriptio talis est.)

℞. Ce-

℞. Ceræ novæ. ℥ iij. Olei communis, Olei Hederæ. añ. ℥ ij. Petrolei, Fol. Anethi (forſitan Tanaceti, cuius vis mira in hac lue) Baccarum Lauri añ. ℥ s. Salviæ, Roriſmarini tantundem, pulveriſentur quæ debent, & addito pauco aceto bulliant omnia, donec in unam maſſam inſtar vnguenti redigi poſſint. Eo nares, tempora, arteriæ capitis, & manuũ illinantur, comedendo prius allia atque cæpas & ſuperbibendo parum de aceto optimo.

Simile aliquid refert doctiſsimus D. Antonius Maria Parolinus Medicus Ferrarienſis in ſuo manuſcripto commentariolo de peſte, aliquando Ticini quoq; in Inſubria contigiſſe, ibidemque nefarios quosdam homines comprahenſos, qui veſtes & alias res infectorum ſemper ulterius ſpargentes, ut hoc pacto contagia atrocius ſævirent, tandem aſſeveraſſe duobus remediis ſe tutos fuiſſe, ne ab illis quoq; corriperentur.

Quorum unum Electuarium fuit.

℞. Imperatoriæ, Carlinæ, Gentianæ, Dictamni albi, Dictamni Cretici, Chamædryos, Calamenthi, Baccarum lauri: ſingul. æqual. partes, omnia pulveriſata ſubtiliter miſceantur cum melle deſpumato & clarificato, & fiat Electuarium.

Alterum

Alterum unguentum eiusmodi est.

℞. Olei Terebinthinæ, Petrolei, de Iaſmino, Laurini añ. ℥ s. Pinguedin. Taxi tantundem. Ceræ novæ, & olei communis añ. ℥ iij. Bulliant per horæ quadrantem, & poſtea adjungatur Abſynthii, Chamedryos, Anethi, Salviæ, Rutæ, añ. M. j. Coquantur hæc in Balneo & redigantur omnia in formam unguenti, quo ungantur tempora, arteriæ manuúm, & cor ipſum.

Hæc autem in medium afferre volui, ut de illis, ubi opus est, periculum fieret, quamvis, ut verum fatear, alia his adhuc præſtantiora προφυλακτικὰ paßim in uſu ſint, & a Medicis in ſuis editis de peſte libellis plurima talia exponantur. De his itaque ſtatuet unusquisque quod voluerit.

XXIII.

Cum experientia teſtetur, ſi eorum corpora, qui peſte mortui ſunt, factis non ſatis profundis ſcrobibus vel ſepulcris, tantum ſuperficietenus terræ mandentur, ſuperveniente pluvia copioſiore, per terræ meatus laxiores redditos, evaporationes & exhalationes admodum putridos & malignos ea emittere, unde facile aër ipſe circa iſta loca infici, vel etiam antea ſeminariis contagioſis inquinatus, adhuc impurior reddi poſſet, cavere diligenter hoc debent

veſpillo-

vespillones & huius generis alii, qui sepelire defunctos solent, faciendo sepulcra satis profunda, atque insuper etiam super cadavera calcem copiosam injiciant. Idque si neglexerint, graviter punientur.

RATIO

RATIO EXPVRGANDARVM RERVM INFECTARVM VEL PROPTER CONTAGIUM suspectarum, secundum modum a præfectis sanitatis publice Venetiis propositum.

PVRGATIO PER SVFFITVS & odores.

Fiant suffitus & odores ex resina pini, pice, thure, styrace, myrrha & similibus, qui vero hæc omnia comparare nequeant, resinam cum thure tantum accipiant. Et hac ratione purgantur domus, chartæ, litteræ atque libri. Mediolanenses ex sententia suorum excellentiss. Medicorum, jusserunt, eos qui tenuioris essent fortunæ, nec magnos sumtus in hanc rem facere possent, loco Aceti lixivium cum calce usurpare, & pro Styrace picem sive resinam pini accipere, ita ut singulis libris Thuris adjiciantur viginti libræ picis sive resinæ. *Domus, sepositis in unum locum omnib. reb. infectis, diligenter primũ scopis mundentur a certis hominibus ad hoc ministerium publice conductis, (quib. aliorum consuetudo interdicatur) quàm dili-*

gentissime. Quo facto deinde omnes fenestræ claudantur, & in præcipua conclavia prunæ, id est, carbones igniti inferantur, ac desuper materia suffitus projiciatur, idque, si omnino fieri potest, continuetur per diem integrum naturalem. Postridie iterum omnes fenestræ aperiantur, quo libere aër undiq; rursum perflare atq; permeare possit. Interea abluantur omnia cum aqua & aceto acerrimo, & denique nova dealbatio sive incrustatio in parietibus & similibus locis superinducatur. Notandum autem inprimis, calcem vivam ad hoc præparandam in ipsis conclavibus esse extinguendam, nam inde suffitus acris & admodum penetrans excitatur, & subtiliora seminaria contagii, si quæ adhuc latitant, facilius consumuntur. Vnde postea eiusmodi domus hoc pacto mundatæ tutius iterum frequentari possunt.

Libri, chartæ scriptæ, litteræ & similia eodem modo purgentur, sintq; omnia bene aperta, explicata, atque a coreaceis atque aliis involucris separata, atque per diem naturalem saltem exponantur aëri liberiori.

Pennæ & plumæ eximantur e lectis ab istis purgatorib. & baculis omnia bene ventilentur atq; excutiantur, auferendo inde pulveres & alias sordes, postea explicentur per conclavia, & caute prope illas collocetur super prunas materia ad suffiendum jam indicata, & ultimo cum

cum pauco aceto optimo nonnihil irrorentur.

PVRGATIO CVM AQVA fervente.

Cum tali aqua purgentur telæ, lanæ, lectorum tegumenta, panni ex lanis confecti, ac vestes non magni precii. Videndum tamen ne lana sit nimis in globos arctos convoluta, atq; vestes quoq; sint simplices & sine plicis. Hæc omnia injiciantur in ahenum amplum aqua plenum & ebulliant; omnia cum pistillo sæpe agitando, aliquoties, postea a personis idoneis eximantur, & ex frigida eluantur atque iterum exiccentur.

CVM ARENA.

Deportentur res expurgandæ in locum apricum vel alium ubi terra est frigida, vicinum puteo, ibique excitetur fovea alta sex pedes, expers omnis humiditatis, supra quam extendatur linteum mundum, & in illo ponantur res infectæ vel suspectæ altitudine unius palmi, & operiantur alio linteolo, hocque ita per seriem fiat, donec pro copia rerum injiciendarum fovea tota sit repleta. Tum ibi relinquantur per quatuor dies naturales, rursum eximantur, & totidem dies aëri exponantur. Hoc pacto solent mundari quæ habentur alicuius precii, ut sunt phrygia opera textilia ex auro & argento, ho-

loſericum, ſericum, tapetes, panni elegantiores, veſtes, pelles precioſæ & ſimilia. Veſtes tamen ſine multis plicis eſſe debent. Pelles aliæ non adeo magni momenti etiam ſine linteolis in foveas imponantur. Reſpiciant autem pili, præſertim in Sebellinis, Martis, lupi cervarii & eiusmodi aliis pellibus ſuperiorem foveæ partem.

CVM AQVA SALSA.

Panni ex lino, culcitræ, gauſapa, filtra, ſtromata, atque aliæ villoſæ veſtes, atque lectorum partes non admodum precioſæ collocentur in aliquem locum, ad quem aqua ſalſa ſive marina derivari, atq; inde rurſum facile effluere queat, hæcque omnia initio tractentur ab illis miniſtris, qui res inquinatas vel ſuſpectas alioqui mundare ſolent, (nam alii præter illos facile inde poſſent labem aliquam contrahere) deinde aquæ ſalſæ immergantur, in eo loco, qui publice ad hanc rem eſt deſtinatus, ibique maneant dies quinq; naturales. Poſtea rurſum eximantur ab aliis miniſtris qui contagioſas res non tractant, atq; ex aqua dulci bene ab omni ſalſedine abluantur atq; exprimantur, quæ deinceps exiccata ſine periculo uſurpari poſſunt. Stromata quæ vulgo Stramazzi vocantur, & lectifacti ex plumis penitus debent diſſolvi, ac lanæ primũ bene baculis excuti, deinde bulliant in aqua ſalſa, aut, ut diximus, in ſabulo vel arena ſepeliantur.

DE

DE BOLO ARMENIA ET TERRA LEMNIA

OBSERVATIONES IOACHImi Camerarii Medici Norimbergensis.

DE accurata atq; absoluta quantum fieri potest, instituenda investigatione atq; cognitione medicamentorum simplicium, Medico admodũ necessaria, tanq̃ præcipua Materia circa quam potiß. ipsius industria atque ars versetur, plurimi tam veterum quàm recentium autorum scripta abunde tractarunt. Quæ omnia breviter & tanquam ἐν ἀνακεφαλαιώσει *quadam egregie Galenus in 3. libro de compositione medicamentorum secundum genera ante oculos ponens, hæc verba posuit. Iuvenes bonæ indolis incitari debent, ut medicamentorum materiam cognoscant, ipsimet inspicientes non semel atq; iterum sed frequenter. Quoniam sensibiliũ rerum cognitio sedula inspectione confirmatur, cuius rei indiciũ est certiß. quod gemelli per omnia similes esse nobis visi, differentes tamen iis, qui ipsos inspicere crebrius consuevere, videntur. Quare (inquit paulo post idem Galenus) amicos adhortor ut*

meum exemplum ſequentes, modo artis operæ probè obire voluerint, dent operam ut ex omnibus locis præſtantiſsima illis quotannis medicamenta afferantur, quandoquidem perditi illi omnis generis coëmtores rerum, variis modis ea adulterare ſoleant. Quisquis itaque auxiliorum undique copiam habere volet, omnis ſtirpium materiæ, animalium, metallorum, tum aliorum terreſtrium corporum, quæ ad Medicinæ uſum transferre ſolemus, expertus eſto, ut ex eis & legitima, & notha probe cognoſcat, deinde in commentariis meis, quos de ſimplicium Medicamentorum facultatibus edidimus, ſeſe exerceat. Niſi enim hoc modo inſtructus, verbotenus quidem medendi Artem ſciet, opus vero nullum ipſa dignum perficiet. Adulterata namq; medicamenta per ignorantiam compoſitioni alicui injicere, vel non exquiſite facultates eorum intelligere, an non in cauſſa erit ut frequentius erres quàm recte agas? jam vero exquiſite vires eorum cognoſcere: ab eo multũ differt, quam ſimpliciter cognoſcere, atque hactenus Galenus. Eos vero, qui hanc partem artis Medicæ negligunt, & potius aliorum fide quàm proprio judicio medicamenta aliis præſcribunt idem autor 6. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſcite admodum & appoſite, ex ſententia Heraclidis Tarentini, ſimiles prorſus eſſe ait præconibus, qui formam & notas fugitivi mancipii

cipii

cipii, licet ipsi viderint nunquam, præconio tamen suo publicare solent. Notas enim ab aliis accipiunt & ceu cantilenam eas proferunt, ut si forte is, quem præconio indicant, prope assisteret, agnoscere tamen eum non possent. Jam vero unusquisque cogitet ac secum diligentius perpendat, an non eiusmodi errata plurima nostris quoque temporibus sæpenumero committi contingat, ac crebro etiam in medicamentis præcipuis impingi cum maximo ægrorum jactura, & exhibentium dedecore soleat? Quod equidem in quàm pluribus, si locus ferret, facile a nobis demonstrari posset, sed nunc tantum in duobus ubique celebribus, & admodum usitatis simplicibus medicamentis, Bolo nimirum Armenia & Terra Sigillata declarare studebimus. Cuius utriusq; nomina quamvis sint notissima, & ferè nulla Antidotus, neq; Alexipharmacum ullum vel alia compositio similis reperiatur, in qua non hæ duæ terræ assumantur, & præ aliis commendentur, res tamen ipsa & earum delectus non æque patet omnib. Vnde etiã nonnulli viri doctissimi in eam sententiam devenerunt, quod tanquam a falsis & incertis terris, ab illis quæ hodie circumferuntur, plane abstinendum et in nullis compositis medicamentis earum usus sit admittendus.

Quorum tamen rationes, ut hoc pacto videamus quatenus illæ nobis sequendæ, & quæ in

illis ulterius explicanda sint, breviter exponere decrevimus. Loquentes itaq; primum de Bōlo sive gleba Armenia, asserunt isti, amplius illam ad nos non afferri, quoniam nec colore pallido, nec viribus Bolus orientalis rubra, qua vulgo passim utimur, cum ea conveniat, quæ a Galeno describitur. Mercatores vero lucrandi cupiditate ductos illius loco terras varias ex diversis regionib. conquisitas nobis obtrudere, quib. postea pro vera Armenia bolo pharmacopolæ & alii utantur. Cum tamen secundum Galenum Armenia bolus singulare hoc tantum privilegium habeat, quod pesti adversetur, nec propterea id aliis terris esse ascribendum. Nam in medicamentis quæ a tota substantia agunt, transitus ad simile (quod proprie est Empyricorum instrumentum) non conceditur. Neque etiam veram Bolum armeniam repræsentare potest ulla præparatio, quæ suscipitur in vulgari, illam abluendo cum aliis nonnullis, aut per certum tempus subter terram sepeliendo. Ars enim sive industria humana non potest pro suo arbitrio facultates easdem rebus tribuere, quas illis Natura concessit. Posito etiam quòd Bolus armenia reperiatur, nihilo minus tamen ex sententia Galeni indifferenter in omni pestis specie illa non erit utendum, sed tantum in ea conveniet, quæ habet adjunctum fluxum colliquantem, quod ut plurimum in hectica pestilente contingere

solet,

ſolet, in ea verò peſte, quæ remedia ſudorifera requirit, et potius in humoribus infectis conſiſtit, propter vim ſuam emplaſticam & nonnihil aſtringentem parum prodeſſe poterit. In his vero ipſarum rationibus, quæ certe non ſunt exigui momenti, quædam forſitan diligentius perpendere non erit inutile. Quod enim primum attinet ad colorem, haud ſcio an ex eo certum argumentum ſumere liceat. Nam terrarum colores mutare pro ut puriores vel impuriores ex ſuis venis effodiantur, etiam argilla vulgaris & quæ a Metallicis vocatur vulgo Marga, eſtque terra quædam ſpiſſa & pinguis, cum Bolo max. ſimilitudinem habens, ac Steinomarga, quæ inter lapides in fodinis reperitur, ſatis declarant, nam etiam quotannis fere aliam earum formam offerri obſervamus. Retulit vero mihi vir doctrina, & longo uſu medendi celeberrimus D. JOANNES CRATO AD CRAFFTHAIM Medicus & Conſiliarius trium Imperatorum Roman. præceptoris & patris loco mihi colendus, ſe ter Conſtantinopoli Bolum armeniam ſimplicem ac præparatam, id eſt, a ſordibus liberam prout effoſſa fuit, accepiſſe, nec in ea ullam animadvertiſſe diſsimilitudinem: niſi quod fuerit nonnihil pinguior, (butyri enim inſtar ea etiamſi non lota in ore liqueſcit) quàm ſit ea quæ in officinis habetur, in qua ſæpe fraudem committi, guſtu depræhenditur, cum pin-

 guedine

guedine enim, quod diligenter est observandū, nescio quid insuper rancidum & exoletum præ se fert. E Cappadocia autem, quam quidam Geographi finitimam Armeniæ, alii, ut Appianus, minoris etiam Armeniæ partem esse tradunt, Constantinopolim afferri non est dubium. Non tamen etiam docti viri repugnant, Rubricæ Sinopicæ, secundum quorundam sententiam, speciem esse, tres enim huius differentias ponit Plinius (quamvis tales vires illi minime ascribat.) Sinopis, inquit, primum inventa in Ponte, inde nomen a Sinope urbe. Nascitur & in Ægypto, Balearib. Africa, sed optima in Lemno, & Cappadocia, effossa e speluncis. Quæ adhæsit saxis, excellit. Glebis suus colos, extra maculosus. Hacque usi sunt veteres ad splendorē. Species Sinopidis tres. Rubra, & minus rubens, & inter has media. In Medicina usus blandus, emplastrisq; & malagmatis sive sicca compositione eius, sive liquida facilis, contra ulcera in humore sita, veluti oris, sedis. Alvum sistit infusa, Fœminarum profluvia denarii pondere pota. Eadem adusta siccat & scabricias oculorum, e vino maxime. Hæc Plinius, apud quem plura, qui volet, de ea legere poterit.

Præterea ne hoc quasi privilegium peculiare uni Armeniæ concedatur, & reliqua omnia genera Boli (quamvis magna cautio sit non immerito propter tot imposturas hic

quoq;

quoq; semper adhibenda) tanquam inefficacissima abjiciantur, autoritas & experientia doctissimorum virorum plurium obstare videtur. Nam idem Clariss. D. CRATO, & alii viri fide dignissimi testantur, se reipsa comperisse in peste VViennensi, multis sæpe Bolum Hungaricam Tocaensem, quæ nunc etiam a pluribus in precio habetur, profuisse. Ea gleba, (ut doctiss. THOMAS JORDANUS Medicus apud Moravos præcipuus, in suis phænomenis accuratissimis ipsam describit) ad BeregZaZum & Tokayum Pannonum prope Tibiscum oppida e scrobib. effoditur colore rubro, quæ etiam e specubus quibusdam & cavernis olei instar guttatim interdum stillat, et postea aëri exposita concrescit, atq; in cretaceam substantiam induratur. Commendarunt illam quoq; ad quos missa fuit, amici Itali, & ipse D. Jordanus in tabidis eius usum loco Boli orientalis prædicat. Tusa autem prius aquæ injicitur, & oleosa pars innatans colligitur, quæ asservari postea potest omni sabulo destituta. JOANNES PHILIPPUS INGRASSIA Protomedicus Siciliæ clariss. in 3. suo libro quem Italice de peste Panormitana nuper magno studio conscripsit, Bolum Armeniam orientalem, quamvis eam pro vera non habeat, nec etiam Terram Lemniam aut Sigillatam (qnandoquidē tingit digitos, quod Galenus improbat) esse velit, affirmat tamē in febrib. pestilentibus

lentibus

lentibus & corporibus veneno infectis non parum præstitisse. In cuius defectu suadet esse accipiendam alteram Italicam ex Japygia sive Puglia (vulgo dictam Materensem) allatam, quæ cum Galeni bolo quoad colorem & substantiam conveniat. Idem sentiunt plures alii probatiss. Medici. Clariss. D. Crato, (cuius merito autoritati multum tribuimus) in superiori Catarrho Epidemico, qui Anno Christi 80. ac paulo post max. partem Europæ invasit, nihil magis profuisse Bolo Armenia orientali dicta, & cornu cervi usto, per litteras mihi aliquoties significavit: ac ubi Bolus sit suspecta, omnino putat recte illius loco cornu cervi esse substituendum. Resistunt enim istæ terræ putredini, ut curatio vermium quoq; manifeste comprobant, idem vero præstare cornu cervi omnibus constat. Estque in his singularis quædam facultas cogendi quasi in unum locum malignitatem impressam humoribus. Quare ut Camphora (quæ non postremum remedium in peste tanquam diaphoreticum validum, præsertim si cum Ambra non illa cineritia sed chrysea, quæ ut sulphur ardet, & Bolo commisceatur, esse tradunt) repurgat spiritus & serosos humores, sic bolus & cornu cervinum in unum cogunt malignitatem & Naturam debiliorem factam ad expulsionem tentandam juvant. Exemplum satis evidens præbet cervisia, ea quamvis sit admodum turbida

&

& corrupta, injecta tamen creta vel putaminibus ovorum ustis rursum fit purior & saporem meliorem acquirit, cum Creta vel similis res impuritatem illam ad se pertrahat. Ex quibus etiam patet, non perperam illos facere, qui in aliis quoq; pestis differentiis, non solum in ea quæ febrim hecticam habet conjunctam, quemadmodum Galenus voluisse videtur, Bolo Armenia utantur. Abluitur autem sæpenumero etiam per se, ut arena aut simile quippiam a reliqua terra pinguiore & puriore separetur, non ut aliqua nova facultas illi concilietur. Colore verò mutato, vires non statim etiam mutari tum multa alia tum plantarum varia genera id satis abunde declarant.

Ex his omnibus satis manifeste ostensum esse arbitramur, quid de Bolo armenia vera & eius succedaneis sit statuendum: quodque illa orient. secundum nonnullorum opinionem, certe non sit penitus rejicienda. Neque tamen contra etiam temere, ut multi faciunt, aliis omnibus quæ tantum superficietenus cum priore conveniunt, & quarum origo est incerta, neq; longa experientia a doctiss. Medicis sunt commendatæ, utendum esse censeo. De quibus particulatim agere nimis longum fore, & ex illis, quæ jam attulimus, facile dijudicari poterunt. Atq; ideo illis omissis pauca quædam de Terra quoque Lemnia adjiciemus.

Certum

Certum autem est vulgo in officinis non pauciora adulterata atque penitus etiam falsa eius genera reperiri, quàm in Bolo usu venire consuevit. At esse res diversas Bolum Armeniam orientalem & Terram Sigillatam supra indicatum fuit, atque idem Turcas quoque & Armenios affirmare audimus. Quid sit autem proprie terra Lemnia, & quæ eius notæ, & quo pacto hodie quoq; in ea insula effodiatur, non tamen eodem in loco, quem Galenus notavit, nemo, meo quidem judicio, melius atq; diligentius explicavit Doctiss. Stephano Albacario, qui ad imitationem Galeni universam insulam istam propterea circumire atque modum insuper & tempus effodiendi istam pleniss. describere voluit, in quadam epistola sua ad Dominum Augerium Busbekium tum Cæsareum oratorẽ ad Turcicum Imperatorem: quæ cum satis sit prolixa, & impressa reperiatur sexto libro commentariorum in Dioscoridem D. Petri Andreæ Matthioli, in capite de Terra Lemnia, integram hic non ascribendam, sed eo lectorem remittendum esse putavimus. Dicit autem autor illius, eam quæ nostris diebus effoditur, ut plurimum esse albam, paucam habentem rubedinem admistam, rarissime autem inveniri rubram, similem Bolo orientali, cum Galeni temporibus instar rubricæ, excepto eo quod manus non tingeret, Terra Sigillata ruberet. Quare

con-

conjicit alium esse collem præsentem, ex quo modò eruitur, ab eo qui a Galeno describitur. Non caret autem admiratione, cuius rei alii, quod sciam, non mentionem fecerunt, quòd scribat suavem admodum odorẽ emittere locum istum ubi colligitur. Eligunt vero potiss. eam ceu meliorem, quæ inter quosdam lapides non admodum duros latitat, & tenax est atq; minime saxosa. Semel tantum in anno effoditur a Græcis, præsente Turcico præfecto, et certo quodam die, estq; capitale inde quippiam alio tempore auferre. Propter angustiam vero putei, ex quo eruitur, pauca illius copia haberi potest, & eruta diligenter eluitur ac in saccis quibusdam suspenditur, donec omnis aqua inde destillet, postea manibus eam subigentes in majores vel minores trociscos efformant, sigillo Turcici Imperatoris obsignantes, atque universam impositam in cistam eodem sigillo munitam, Constantinopolim deferunt. Hinc quoque fit ut in Lemno, quamquam magno precio, nulla eiusmodi terra venalis inveniatur, nam & ipse præfectus, & alii nonnulli eius ministri parum de illa nacti eam neutiquam vendere, sed tantum amicis suis donare possunt. Ex his omnibus judicare licet, quid de terra sigillata, quæ ubiq; ita copiose non solum apud pharmacopæos, Sed omnis generis homines circumfertur, sentire, & quantum illi virium ascribere debeamus.

Ex

Ex variis autem terris ſive Margis (ſic .n. Georgius Agricola nominare conſuevit) eam concinnari admiſta bolo Armenia orientali, vel ſi huius copia habetur, ex ſola illa efformari nemini dubium eſt. Aliqui volunt Terram Sigillatam, quæ e Lemno affertur, vulgo nominari Cretam Anatolicam. Sed Joan. Philippus Ingraßius loco ſuperiori indicato exiſtimat eam eſſe Anatolicam, quam vulgo pharmacopæi & mercatores in Italia pro terra ſigillata vendunt, illamq; perhibet in æſtate circa ſolſtitium, quodam in loco Aſiæ minoris, quam Anatoliam ſive Natoliam corrupto nomine hodie vocant, colligi, unde Creta poſtea Natolica dicitur. Ex qua illis in locis conficiuntur nonnulla vaſcula, quæ ut coloratiora fiant, cretæ iſti aliquid admiſcent Boli orientalis, ex quibus ſi principes & alii bibant, opinantur ſibi nulla venena nocere poſſe. Habetur præter has etiam terra Melitenſis albo colore, quam vulgus Gratiam S. Pauli (perſuaſum enim incolæ habent, D. Paulum terræ huic ad venena hanc efficacitatem miraculoſe indidiſſe) nominat, quæ, autore eodem Ingraßia aliiſve multis aſtipulantibus, contra viperarum morſus venenatos, ſingulare eße remedium perhibetur, cuius ſatis magna copia quoque ad alias regiones exportatur. Sed an hæ terræ omnes, excepta vera Lemnia, de qua paulo poſt loquemur, contra peſtis contagia eo modo

quo

quo nunc fieri ſolet, ſemper & in omnibus compoſitionibus uſurpandæ ſint nec ne, illisque excellens quædam vis aſcribenda fuerit, non parum dubito, & propterea potius aliis efficacioribus & notioribus medicamentis eſſe fidendum, ſummopere ſuaderem. Vt autem relictis illegitimis terris eiusmodi, de veræ & genuinæ (quæ ſæpe Conſtantinopoli magnis viris ſingularis muneris loco a Turcis (ſi modo nobiſcum bona fide agant) donari, & inde in aliorum manus apud nos quoque venire ſolet) facultatibus aliquid quoque dicamus, Galenus & veteres alii eius tanquam contra peſtem Alexipharmaci non meminerunt, neque apud Avicennam tale aliquid legitur. Senex etiam ille Lemnius, qui Galeno librum de ea conſcriptum donavit, affirmabat vomitum ciere, ſi ſtatim poſt venenum fuiſſet exhibita.

Scribit autem HORATIVS AVGENIVS, Medicus Sereniſſimi Ducis Pedemontani doctiſſ. multoties hoc fuiſſe tentatum in hominibus qui venenum ſumſerant, exhibentes illis aliquid de Terra Lemnia quàm ſelectiſſima, ſed vomitum nullum inde eſſe ſecutum, ac inde magis etiam ventriculum roboratum, ut illi qui antea facile vomebant, poſtea hoc non facerent, quod etiam in quodam qui Cantharides ſumſerat, contigiſſe affirmat. Habemus & nos aliquam partem Terræ Lemniæ, nobis tranſ-

missæ, a quodam nobilißimo viro, qui ipse Constantinopoli a Purpuratis magni muneris loco accepit, quam in exanthematis malignis aliquoties cum singulari successu exhibuimus. Vomitum autem excitasse nunquam observavimus. Caussam itaq; eandem, quæ Bolus Armenia orientalis, quam aliqui Rubricam Sinopicam, ut superius retulimus, faciunt, malignis humoribus resistit, & ipsos quasi in unum cogit, atque ideo pesti resistit procul dubio; ad Terram Sigillatam quoque non male poterimus referre, atque ideo vires Terræ Lemniæ & Boli non admodum discrepare erit statuendum. Turcas equidem satis constat in cibis suis terra, quæ hodie ex Lemno illis affertur, uti, procul dubio contra venena vel alio modo cibos corruptos facultatem non exiguam illi ascribentes, vim autem contra pestem, quemadmodum etiam lapidi Bezoar, fere nullam tribuere. Hæc breviter de his duobus medicamentis indicasse potius quàm pluribus disputasse sufficiat, quæ spero omnibus Rerum Naturalium investigatoribus, studiosis artis Medicæ, & cæteris qui compositiones medicamentorum tractant, non ingrata futura, atq; etiam occasionem aliquam esse præbitura, ut plura de his & forsitan meliora in medium aliquando proferant.

Erat quidem animus, nonnulla quædam his addere de Vnicornu, cuius sane peculiares

dotes

dotes contra venena ut non contemno, sic econtra propter magnam eius raritatem, & fraudes multiplices, quæ in illo committuntur, ut plurimum mihi eius usum suspectum esse non eo inficias, & nisi certiss. experientia confirmatus cornua cervorum statuto tempore & ætate eorum collecta vulgari unicornui longe præfero. Sed quia jam ocio destituor, & aliis occupationibus obruor, tractationem de hoc & aliis pleniorem, Deo volente suo loco prosequi conabor.

*

CATALOGVS EORVM QVI SVPERIORIBVS ANNIS DE PESTE ITALICA

aliquid publice litteris mandarunt.

PEtierunt a me aliquot amici mei, ut catalogum eorum autorum, qui de peste ante aliquot annos in Italia multis in locis grassante quippiam litteris mandarunt (quorum scripta scirent me studiose conquisivisse) colligere & cum aliis communicare vellem, ut eo facilius quoque tales libros, cum alioquin ad nos raro afferri soleant, sibi comparare, eosque inspicere, atq; cum nostrorum doctissimorum Medicorum, qui & ipsi suas accuratissimas de hac lue, diversis temporibus lucubrationes in publicum dederunt, conferre possent. Quibus libenter sumus obsecuti, & ideo quicquid eiusmodi scriptorum ad nostras manus pervenit, annotare hic voluimus. Quamvis verò plures alii in eodē argumento procul dubio non contemnenda sui ingenii monumenta posteris reliquerint, quoniam tamen ea nondū ad nos allata sunt, facile illi mihi ignoscent, si hoc loco in numero aliorum nō fuerint comprӕhensi. Quod si & ipsi nobiscum aliquid suorum librorum

rum communicare dignati fuerint, ſentient nos officiorum huiusmodi memores, & ubi occaſio ſeſe obtulerit, minime ingratos eſſe futuros.

AVTORVM NOMINA QVI LATINE DE PESTE SCRIPSERVNT.

Alexandri Maſſariæ Medici Vicentini de peſte libri II.
Venetiis apud Altobellum Salicatium. Anno Chriſti 1579. in 4.

Antonii Porti Firmani de peſte libri III. quibus acceſsit quartus de variolis & morbillis.
Venetiis apud Petrum Dehuchinum. 1580. in 4.

Chriſtophori Baravali in Monsregalenſi Gymnaſio Medicinam profitentis, de peſte liber.
In monte Regali ex officina Leonhardi Torcentini. 1565. in 8.

Eudoxi Philalethis adverſus calumnias cuiusdam perſonati pro libello de febre peſtilente Hieronymi Donzellini Apologia.
Venetiis apud Sebaſtianum a Donnis. 1573. in 4.

Franciſci Alphanii philoſophi & Medici Salernitani de peſte & febre peſtilente.
Neapoli, apud Horatium Salvianũ. 1577. in 4.

Hieronymi Donzellini Philoſophi & Medici de natura & cauſsis atque legitima curatione febris peſtilentis, in quibus etiam de Theriace viribus latius disputat .n. Apologia Eudoxi Philalethis adverſus Theſſali Zoyli oppugnationes.

Venetiis, apud Andream Bochinum & fratres. 1571. in 4.

Hieronymi Mercurialis Foroliavienſis Medici & Philoſophi lectiones Patavii habitæ Anno Chriſti 1577. in quibus de peſte in univerſum, & præſertim Veneta atque Patavina ſingulari quadam eruditione tractatur.

Venetiis, apud Paulum Meietum. 1577. in 4.

Ioannis Marinelli de peſte & peſtilenti contagio liber.

Venetiis, apud Gratioſum Perchacinum. Anno 1577. in 4.

Petri Iacobi Zonelli Carmagnolenſis commentarii de peſtilenti ſtatu.

Venetiis, apud Franciſcum Portinarium. in 8.

Proſperi Borgarutii Medici & Philoſophi de peſte tractatus.

Venetiis, ex officina Marci de Maria Salernitani. 1565. in 8.

Thomæ Sommentii Medici Cremonenſis de morbis qui per finitimos populos adhuc graſſantur, & num ad peſtilentes referendi

rendi

rendi ſint, poſt prima reſponſa Mantua allata brevis disputatio.
Cremonæ, apud Chriſtophorum Draconium. Anno 1576. in 4.

NOMINA AVTORVM QVI ITALICE ALIQVID EDIDERVNT.

Andreæ Gratioli Salonenſis Commentarii de peſte, in quibus continentur utiliſsimæ obſervationes de Natura, cauſsis, & curatione illius, una cum catalogo omniũ temporum, in quibus memorabiles peſtes extiterunt. His adjunctus eſt tractatus doctus & antea non editus Saladini Ferri Aſcolani.
Venetiis, apud Hieronymum Polum. Anno 1576. in 4.

Antonii Gliſentis Brixienſis de cauſsis præparantibus corpus humanum, ad recipiendam corruptionem peſtilentem huius anni 1576. itemque generantibus peſtem, & illam ſæviorem reddentibus.

Eiusdem de ratione victus & aliis obſervandis ad præſervationem neceſſariis tempore peſtis. 1576.

Reſponſio eiusdem pro ſuperiore tractatu de cauſsis peſtis ad Apologiam Hannibalis Raimundi Veronenſis. 1576.

Baldaſſaris Piſanelli Bononienſis Medici Commentarius de peſte.
Romæ, apud hæredes Antonii Bladii. 1577.

Hieronymi Donzellini Medici & philoſophi Veronenſis brevis ſed accuratiſs. Commentarius de præſervanda & curanda peſte.
Venetiis, apud Horatium de Gobis Salonenſem. 1577.

Horatii Augenii de Monte Sancto, de Modo præſervandi a peſte libri IIII.
Firmi, apud Aſtulphum de Grandi. 1577.

Ioannis Philippi Ingraſſiæ protomedici Regii in regno Siciliæ de peſtifero & contagioſo morbo, affligente Panormim & alia loca vicina Anno Chriſti 1575 & 1576. una cum modo tam præſervandi quàm curandi ſe in iſta lue.
Panormi, apud Joannem Matthæum. 1576. in 4.

Ioannis Turnonii de plebe S. Stephani Medici & Philoſophi de peſte & peſtilente morbo libri IIII.
Florentiæ apud Georgium Mareſcottum.

Ioannis Baptiſtæ Suſii Doctiſs. Medici & Archiatri Ducis Mantuani de ratione cognoſcendi peſtem.
Mantuæ, apud Jacobum Ruffanellum. Anno 1576. in 4.

Ioſe-

Iosephi Daciani Medici Reipub. Vtinensis de peste & petechiis tractatus, in quo vera ratio docetur tam præservandi quàm curandi hoc morbo correptos.
Venetiis, apud Christophorum Zannetum. Anno 1576.

Marcelli Squarcialupi de Plumbino Medici & philosophi defensio contra pestem.
Mediolani, apud Petrum & Franciscum Tinos.

Míchaëlis Mercati Medici Romani doctissimi, commentarii de peste accuratiss.
Romæ. 1577.

Ascanii Centurii de Hortensiis libri V. in quibus diligentiss. exponuntur omnes observationes, constitutiones, edicta publice proposita, atque alia plurima quæ contigerunt in Mediolanensi peste, Anno Christi 1576 & 1577. ad utilitatem aliarum civitatum Europæ, in simili calamitate constitutarum, diligentissime collecti.
Venetiis, apud Joannem & Joan. Paulum Jolitos Ferrarienses. 1579. in 4.

Narratio earum rerum, quæ tempore pestis sive pestiferi contagii Mediolani acciderunt, a Calend. Augusti Anni Christi 1576. usque ad finem anni sequentis. Breviter descripta ex historia P. Bugati Mediolanensis.
Mediolani, apud P. Gottardum. 1578.

Edicta varia publice proposita Venetiis & nonnullis aliis in locis.

SENECA IN TROADIBVS.

Miser occupet præsidia, securus legat.

IOACH.

JOACH. CAMER. LECTORI.

CVm nonnullæ paginæ in fine vacuæ alioqui relinquerentur, putavi illas melius atq; rectius me complere non posse, quàm si carmina quædam non minus pia quàm erudita hoc loco exprimenda curarem: quorum autor fuit vir doctus admodum & gravis, HANNIBAL CRVCEIVS, Secretarius Mediolanensis: quæ ille quasi animus ipsius aliquid eiusmodi præsagiret, composuit tempore pestis, ante aliquot annos Mediolani vehementer sævientis, nam post fidelem & utilem operam navatam patriæ suæ, ea lue ipse quoque tandem correptus obiit.

MAgne pater, rerum cunctarum invicta potestas;
Qua mare, qua terras, qua cæli lucida templa
Æternis regis imperiis, atq; ordine certo
Ire diem noctemq; jubes, & quicquid ubiq; est
Gignis, alis, renovas, ornas, moderaris, adauges;
Hanc urbem tutare tuo cum numine sancto,
Quæ diræ pestis lethali infecta veneno
Quid faciat, quidnam fugiat, quidnamve sequatur,
Aut quonam sese nunc vertat deniq;, nescit.
Quando hac ulla tenus non est medicina reperta,

Gras-

Grassantis morbi quæ vim depellere possit.
Omne ministerium Medicorum prorsus inane
Indomita insani reddit violentia morbi.
Non herbæ, succive juvant, non Indica merces,
Non artes aliquæ, non si nunc ipse Machaon
Afforet, aut artis Medicæ monstrator Apollo,
Auxilium miseris languentibus afferat ullum.
Quàm bene nos poterant (si mens tum sana fuisset)
Portendi nobis aliquid ferale, docere
Qui furnæ mortis vultumq; habitumq; gerentes,
Tempore ab hinc parvo pugnæ simulacra cierunt.
Vna quidem mors est, sed non genus illius unum.
Hic caligantes oculos attollere cælo
Posse negans, jam jam vitalem deserit auram;
Ille dolore caput queritur torquerier acri.
Est, cui post aurem sanie taboq; tumescens
Vlcus hiat, parvoq; affert in tempore lethum.
Sunt, quibus ostendat medio se in pectore tabes:
Mortifer huic alas, illi occupat inguina bubo.
Est quoque, quando aliis alios arrépit ad artus.
Inficit hunc ægri contactus, at halitus illum:
Attrectare manu quos contigit æger amictus,
Resve alias quasvis, mortis certissima caussa est.
Hinc fit, uti genitor natum, natus genitorem
Negligat, uxorem conjux, uxorq; maritum.
Rara olim fuerat, nunc nulla est gratia fratrum.
Quid? quòd & innuptas matres liquere puellas,
Quæ pollinctorum, dictu miserabile, fœdis
Tractatæ manibus jucundæ præmia vitæ
Amisere prius miseræ, quàm noscere possent.
Nomen amicitiæ quàm sit venerabile, nemo
Ignorat: tamen hoc in tempore amicus amicum
Deserit, & Pyladem frustra expectarit Orestes.

Sic tristes animas numerosa infletaq; turba
Exhalat, tetro inficiens simul omnia tabo.
Et quasi pertineat nihil ad se, efferre propinqui
Sanguinis immemores, spreta pietate, recusant.
Propterea fit, uti sine funere funera passim
Spectentur, semperq; nova formidine mentes
Horrescant crebra præsentis imagine mortis.
Iam vero & villas, & agrestum septa domorum
Occupat ista lues, ac jam rubigine aratra
Squalere incipiunt, viduantur rura colonis,
Maturæ frustra pendent e vitibus uvæ,
Putrescuntq; suâ neglecta sub arbore poma,
Incertæ amisso pecudes pastore vagantur.
Hinc nova venturi penitus spes interit anni;
Funestæ hinc inimica fames proceditur urbi.
Tu solus pietate tuâ mala pellere tanta,
Tu potes Omnipotens utramq; avertere pestem,
Vtq; velis, humili te flentes voce precamur.
Nos certe male grati animo, verbisque manuque
Turpia, dira, scelesta, nefanda admisimus in te.
Et graviora pati nosmet meruisse fatemur:
Sed tamen ut longe sint maxima crimina nostra,
An tua multimodis non est Clementia maior?
An potis est in te quisquam committere tantum,
Quin tua plus multo pietas dimittere possit?
Sic Cananæa pium te, sic & adultera sensit;
Et qui nocte illa ter te novisse negavit.
Obtinuit primus posse altitonantis olympi
Et clausas aperire fores & claudere apertas.
Nos igitur, nostri quos jam tædetque pudetque,
Pœnitet & scelerum tantorum, respice & audi
Omnipotens, precibusque piis PATER annue nostris:
Te pueri juvenesque rogant, populusque patresque,

Matres

Matres atque nurus, nuptæ, innuptæque puellæ.
Nos tu olim cæca rerum caligine mersos,
Ignarosque tui, veræque salutis egenos,
Nec de te quicquam tantum vel tale merentes
Sponte tua tanto dignatus honore fuisti,
Ut sævi ereptos tætris e faucibus Orci,
Atque tui Gnati miseranda morte piatos,
Cælestis vitæ perfungi munere velles.
Quare in tam gravibus ne nos contemne periclis:
Sed procul hinc, procul hinc huius contagia morbi,
Pestiferamq; luem sub tristia Tartara mitte.
Hoc te per Gnati ligno pendentis ab alto
Vulnera, perque alios illius mille labores,
Quos nostri caussa est tot post ludibria passus,
Mortalem quando vitam immortalis agebat;
Per si quid nostræ lacrimæque precesque valebunt,
Et quæ nunc facimus communia vota, rogamus,
Ut ne (quæ nostra est formido) more ferarum
Accipiat tellus infletos, inque sepultos.
Aut si omnes tabe hac absumi forte necesse est,
Tum validas nobis vires mentemque ministra
Intrepidam, mala tanta tui quo nominis ergo
Fortiter, invictoque animo perferre queamus.
Et simul ac corpus terræ, unde accepimus illud,
Quisque suum dederit (si non indigna petuntur)
Partem aliquam cæli semper stellantis apisci
Nos face, ubi æterna tecum requiete fruamur,
Humani fastus ludibria despicientes.

FINIS.

NORIBERGÆ,
In officina Catharinæ Gerlachin, & Hæredum Iohannis Montani.

Anno

CIↃ IↃ XVIIC.